21
St. 4

DE LOCIS THEOLOGICIS.

SYNOPSIS

PRAELECTIONUM, QUAS IN C. R. UNIVERSITATE

OENIPONTANA HABUIT

FERDINANDUS ALOISIUS STENTRUP S. J.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ALMA COLLEGE
216
LIBRARY
St 42
Alma, California

OENIPONTE.
TYPIS FELICIANI RAUCH.
1889.

1963

Property of
CLGA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

Prolegomena.

I. „Merito Sapientes admonent, inquit Petavius dogmat. theol. tom. 1. prolog. c. 1., ut ante scientiae ingressum cujusvis scientiae vocabulum interpretemur ipsum, quod eo plerumque natura illius et proprietas continetur.“ Theologiae nomine „significari intelligimus (August. de civ. Dei l. 8. c. 1.) de Divinitate rationem seu sermonem.“ Ex qua significatione multiplex oritur istius nominis usus.

Primo quidem *latissime* theologiae nomen dederunt omni disputationi de Deo et quacumque divinitate sive vera sive commentitia. Hujus usus exempla prostant apud Augustinum de Trin. l. 14. c. 9, de civ. Dei l. 18. c. 14.

Deinde vero *strictissime* idem nomen usurpatum est, ad denotandam solam de vero Deo et Divinis, eamque superna revelatione innixam tractationem. Est hic usus frequens apud antiquiores Ecclesiae Patres, qui ita eum saepe observant, ut doctrinam de Verbi incarnatione, non theologiae, sed oeconomiae nomine insignirent.

Sequitur tertia nominis acceptio, *propria utique, sed adhuc generica*. Nimirum theologia omnis et sola disputatio dicitur, quae est inprimis de Deo divinisque rebus, tum de aliis quoque rebus, sed quatenus ad perfectiorem Dei cognitionem et cultum conducunt. Si ejusmodi dispu-

tatio solo naturali rationis lumine ducitur, ac principiis mere naturalibus nititur, habes *theologiam naturalem*. Si vero potissimum et proprie principiis per revelationem compertis regitur, appellatur *supernaturalis*. Quae denuo dividitur in theologiam *Beatorum*, et theologiam *Viatorum*, eam scilicet, per quam nos mortales, Deum tantum sub obscura fidei luce velut per speciem et in aenigmate cognoscentes de ipso rebusque ad ipsum pertinentibus ex principiis superno fidei lumine cognitis recte disserimus.

Atque haec quum sit acceptio nominis „theologia," ut a nobis adhibetur, patet, theologiam brevissime definiri posse *scientiam fidei*, seu quod eodem redit, *cognitionem verbi Dei, ut verbum Dei est, demonstratione partam*.

Hinc princeps quidem theologiae munus est, veritates revelatas demonstrare revelatas, sed non unicum est; verum praeterea eidem incumbit officium pervestigandi nexum, qui inter illas existit, inquirendi earum consequutiones, ac expendendi earum convenientiam vel analogiam cum notionibus judiciisque rationis.

II. Aristotele auctore Rhetor. l. 1. c. 2. *locus* dicitur id, unde dialecticus vel rhetor rationes et argumenta ad persuadendum apta petit. Hinc definitio loci existit, quae post Ciceronem rhetoribus et philosophis universis placuit, qua locus statuitur esse *sedes argumentorum*. Itaque locus theologicus universim est sedes argumentorum, quibus paritur scientia fidei. Unde propriissime et primario loci theologici ratio et denominatio iis tantum convenit, quae verbum Dei revelatum continent; secundo autem loco iis etiam omnibus tribuitur, quae ad illud verbum illustrandum, confirmandum, vindicandum et pervestigandum, et consequutiones ex eo inferendas natura sua conferunt.

III. Dissertationi de locis theologicis in specie praemittenda est constitutio principii formalis fidei objectivae, seu principii, secundum quod definitur, quid a Deo reve-

latum et propter auctoritatem Dei revelantis credendum sit. Quaestio de principio formali fidei ea est, quae maxime a Catholicis protestantes dividit. Catholicam doctrinam paucis complectitur tridentinum concilium sessione quarta, decreto de canonicis scripturis et de edit. et usu ss. librorum. Scilicet verbum Dei objective contineri docemur partim in sacris litteris partim in traditionibus in scriptura sacra non consignatis, sed oretenus ab Apostolis communicatis, et continua successione in Ecclesia catholica conservatis. Sicut vero hae communicatae sunt Ecclesiae et conservatae in Ecclesia, ita illae quoque eidem Ecclesiae communicatae in ipsaque conservatae sunt, ita ut Ecclesiae sit testari divinitatem sacrarum litterarum, et ipsarum sensum authentice interpretari. Quare verbum Dei duobus modis Ecclesiae communicatum est, scripto nempe et sine scripto, ore; in Ecclesia et per Ecclesiam conservatur, propagatur, explicatur, proponitur, adeo ut hominibus per praedicationem et testimonium Ecclesiae applicetur. Principium igitur formale fidei secundum doctrinam catholicam huc redit: *A Deo revelatum, et proinde propter auctoritatem revelantis Dei credendum est omne id, quod Ecclesia verbum Dei esse docet et praedicat.*

Protestantismus in thesi, ut loquuntur, omnes traditiones respuit, ac scripturam unicum fidei fontem esse propugnat. Non quasi negaret, ad munus Apostolorum spectasse, Christi doctrinam praedicatione propagare, ipsosque in subsidium tantum praedicationis scriptione usos esse, ac eandem vim habuisse, quod ore, quam quod scripto docerent; sed affirmat, doctrinam scripto traditam extensione et amplitudine reali aequari doctrinae ore communicatae, ac, quum traditione christiana doctrina pura et sine admixtione erroris transmitti non potuerit, interna plane necessitate Apostolorum scripta in locum praedicationis et traditionis eorumdem successisse. Hinc protestantismus tamquam unicam normam et regulam fidei, ad quam omnis doctrina omnesque doctores sint

exigendi, sacram scripturam ponit (conf. formulam Concordiae apud Hase libri symb. eccl. evang. p. 570 et p. 632; et art. Schmalc. p. 308). Hinc illud *Melanchtonis* in loc. theol.: „Quis igitur erit judex, quando de scripturae sententia dissensio oritur, quum tum opus sit voce dirimentis controversiam? Respondeo: ipsum verbum Dei est judex.“ Et Quenstedt (apud Schmid, Dogmatik der evangelisch-lutherischen Kirche edit. 4. p. 47): „Non aliunde, ait, quam ex ipsa sacra scriptura certa et infallibilis scripturae interpretatio haberi potest. Scriptura enim vel potius Spiritus sanctus in scriptura et per scripturam loquens, est sui ipsius legitimus et *ἀνυπεύθυνος* interpres.“ Doctrina igitur Protestantium de principio formali fidei huc revocatur: *Sola scriptura continet integrum et adaequatum objectum fidei, ipsaque sola est interpres et judex authenticus ejusdem objecti.*

Atque haec doctrina protestantismo adeo essentialis est, ut impugnari non possit, quin illi omne fundamentum tam historicum, quam juridicum subtrahatur. In opusculo, quod Stahl contra Bunsen anno quinquagesimo sexto hujus saeculi edidit, Ecclesiam ille dixit organismum divinum, cui jus et auctoritas in homines convenit. Impugnabatur statim a caeteris protestantibus, ac merito omnino Schenkel in opusculo (Für Bunsen wider Stahl p. 17.) scribebat, definitionem illam teneri defendique a nemine posse, quin veritatem Ecclesiae Romanae agnoscere, et ipsi nomen dare constrictum se esse profiteatur. Ac certe, ne dicamus, Stahl tueri illam definitionem non valere, quin aperte iis contradicat, quae tribus annis ante in opusculo (Der Protestantismus als politisches Princip) scripserat, admitti ista nequeat, quin, (quod protestantes Catholicis objiciunt) relatio singulorum ad Christum dependens a relatione ad Ecclesiam ponatur, et quin utrumque principium protestantismi, *sola fides* nempe et *sola scriptura* destructum jaceat. Quod fere idem de definitione Ecclesiae valet, quam Hengstenberg cum suis tradit, ecclesiam nimirum esse confessionem (Lehrinhalt). Praeclara sunt,

quae huc spectantia p. 65. habet Schenkel in opusculo citato.

Caeterum difficile esse arbitramur, duo illa, quae diximus, principia conjungere. Si namque fides justificans ea est, quam protestantes asserunt, perinde est, quid et quantum caeteroquin quis credat, ideoque sacra etiam scriptura ut norma consideranda minime est. Quod multi e protestantium numero viderunt, ut puta Krause et Schenkel p. 41. op. cit.

Caput I.

Thesis I. Christus Jesus, qui supernae religionis testis de coelo descendit, et ut testis, quae in sinu Patris vidit, enarravit, voluit, ut per testes, quos sua instruxit auctoritate, religio sua et doctrina humano generi insereretur.

Dem. Christus, qui in divina sua natura testis Patris est aeternus et substantialis, in beata temporum plenitudine humana assumpta natura testis et legatus Patris venit in mundum. Praedixerat id quondam propheta (Isai. 55. 4); inculcat id maximus prophetarum, Johannes Baptista (Joh. 3. 30. sq.); narrat id Evangelista (Joh. 1. 18); sollemniter idem edicit Christus (Joh. 3. 11; 18. 37); totaque id proclamat publica Christi vita. Perambulabat enim Christus, ut ab Evangelistis docemur, urbes, castella et synagogas, praedicans regnum Dei. Docebat populum, non ut scribae, sed tamquam potestatem habens, ita ut turbae mirarentur super doctrina ejus. Fidem exigebat ab omnibus, plenamque mentis sub sua auctoritate subjectionem, eamque declarabat esse conditionem, quae a quovis implenda sit, qui in suorum discipulorum numerum recipi, ac salutis beatitudinisque particeps esse velit.

De voluntate autem Christi, ut per testes, quos sua auctoritate instruxit, religio sua humano generi insereretur, adeo sunt luculenta scripturae testimonia, ut ne protestantes quidem contradicere audeant (cf. e. g. Matth. 24. 14; Joh. 15. 26. 27. coll. 14. 26; Luc. 24. 44. sq.; Matth. 28. 18. sq.; Joh. 20. 21; Act. 1. 8, 16. sq.; 9. 15; 22. 14, 15; et 10. 39. sq.).

Thesis II. Cui voluntati divini sui Magistri obsecundantes Apostoli munus partesque testium ac doctorum authenticorum perfectissime expleverunt.

Dem. Ad hanc conficiendam expendas testimonia. quae subjicimus, Marc. 16. 15. sq.; Act. 2. 14. sq.; 3; 4. 18. sq.; 5. 28. sq.; 6. 4; 13, 14; 15; 18; 20; 26; 23; I. Cor. 9. 16; Rom. 19. 15. sq.; I. Cor. 4. 1; 3. 9: II. Cor. 5. 20; Rom. 1. 5; I. Cor. 15. 11; 4. 17; I. Thess. 4. 1; I. Tim. 13, 14; 3. 11, 13, 14; Gal. 1. 8. 9; I Thess. 1. 5; I. Cor. 2. 1. sq.

Thesis III. Hanc autem oeconomiam propagandae conservandaeque fidei ac religionis christianae per testes doctoresque authenticos non temporariam et transeuntem, sed perpetuam judicandam esse, sicut cum huc usque dictis consertum est, ita aperte novi testamenti instrumentis demonstratur.

Dem. part. I. Ad vim argumenti, quod adhibemus, perspiciendam haec prae oculis habenda sunt. Scilicet primo, non ex dictis tantum, sed etiam ex factis institutoris alicujus societatis de hujus forma legitimo judicio statuitur. Pertinent enim facta institutoris non ad historicum solum, sed etiam ad juridicum ordinem, et jure censentur verba realia institutoris voluntatem manifestantia. Secundo idem valere de illorum etiam, quos institutor ad opus a se conceptum et fundatum exequutioni mandandum elegit, dictis et factis. In his namque agnoscenda est voluntas causae principis disponens et operans. Tertio denique, facta institutoris existimanda esse facta determinantia fundamentales leges societatis, nisi contrarium declaratum aperte fuerit dictis aut factis, quae prioribus sint contraria.

Quibus praemissis hunc in modum argumentamur: Modus fidem et religionem christianam propagandi con-

servandique est aliquid essentialiter ad institutam a Christo oeconomiam pertinens. Quare dicta et facta Christi, quae ad hunc modum referuntur, determinant legem fundamentalem et essentialem oeconomiae christianae. Atqui dicta et facta Christi, ut et dicta ac facta Apostolorum, exhibent fidem christianam per testes et doctores authenticos propagandam et conservandam. Ergo hic modus credendus est lex fundamentalis et essentialis oeconomiae christianae, ideoque non temporarius ille est et transiens, sed perpetuus et immutabilis.

Dem. part. II. Potissima quaedam indicamus testimonia. Matth. 28. 19. sq.; Joh. 14. 16, 26. coll. 15. 26; 16. 13; et Act. 1. 8; tum I. Tim. 6. 13, 14, 20; II. Tim. 1. 6, 8, 13, 14; 4. 13; 14, 15; 4. 2, 5; nec non II. Tim. 2. 1, 2, coll. Tit. 1. 9; Act. 20. 28; Ephes. 4. 11. sq.

Sunt quidem aliquot scripturae testimonia, quibus doceri prima specie videtur, Deum *singulis hominibus* per se rectam fidem conferre; at ea reipsa huc non pertinere, facile ostenditur. Universim notandum est, fas non esse verba, quae ex sese affirmantia tantum sunt, accipere ut negantia et excludentia; deinde scripturae morem esse, ea, quae ipse principaliter agit, ita ipsi adscribere, quasi solus, nullo adhibito instrumento ageret; denique particulam *non* aliquoties elliptice usurpari pro *non solum,* item adversativam particulam *sed* nonnunquam explicandam esse per *potissimum, maxime* (cf. I. Cor. 3. 7: Matth. 10. 20.).

Satius autem fuerit, singula, quae afferri solent, considerare. Isai. 54. coll. Joh. 6: *Erunt omnes docibiles Dei.* Bene quidem, sed his verbis per se spectatis unum hoc docemur, futurum esse, ut in novo testamento omnes a Deo scientia salutis instruendi sint, de modo autem, quo id exequutioni mandandum sit, nihil discimus. Explicationem autem a Christo adjectam si attendas, iisdem verbis significatur, fidem non externae annuntiationi in acceptis referendam esse, quum oriri in mente tantum possit, si

cum ista interna gratia conjungatur, esseque proinde vere et plene Dei donum.

Provocant deinde ad I. Joh. 2. 20, 27: *Et vos unctionem habetis a Sancto et nostis omnia. . . Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium. Et sicut docuit vos, manete in eo.* Vera haec sunt: omnes namque profitemur, „unctionem ejus docere nos.“ Quaestio nostra non de hoc est, sed tota in modo versatur, quo unctio fideles instruit. Hic vero modus is est, qui testificationem externam includit. Quod, ut ex aliis scripturae testimoniis, ita ex hac ipsa Johannis epistola colligitur (cf. 2. 20; 1. 1. sq.). Ad rem sunt Augustini verba in I. Joh. tract. 3: „Unctionem habebant, inquit, quibus loquebaris. Tu dixisti, quia unctio ipsius docet vos de omnibus. Ut quid igitur talem epistolam fecisti? Quid illos tu docebas? Quid instituebas? Quid aedificabas? Jam hic videte fratres magnum sacramentum. Sonus verborum nostrorum aures percutit. Magister intus est. Nolite putare quemquam hominem aliquid discere ab homine. Admonere possumus strepitu vocis nostrae. Si non sit intus, qui doceat, inanis fit strepitus noster.“

Denique allegant Jerem. 31. 31. sq. Ad rem ea non esse facile liquet. Jeremiae verbis opponitur pactum antiquum abolendum novo instituendo. In eo autem maxime diversitas inter duo haec pacta sita est, quod in vetere pacto praevaleat ratio oeconomiae externae ac temporariae, in novo autem ratio oeconomiae internae ac perpetuae; quod in illo oeconomia habetur particularis et ad unam gentem redacta, in hoc vero oeconomia universalis et omnes gentes complectens.

Thesis IV. Quod idem luculenter demonstrat universalis christianae societatis persuasio.

Dem. Vim persuasionis christiani nominis, quam pro indole hujus tractationis, non theologice, sed philosophice et historice contemplamur, esse prorsus summam, apertissimum promptissimumque est. Eo igitur studium convertendum est, ut existentiam illius apertam reddamus.

Itaque inprimis constat, tam ethnicos, quam haereticos scriptores id quoque inter alia vituperasse, quod Christianorum doctores a suis fidem exigant sibi adhibendam. Jam vero neminem inter eos, qui illorum impugnationes repulerunt, deprehendes, qui istam vituperationem calumniam dixerit, contra omnes id unum agunt, ut demonstrent, non reprehensionem, sed potius approbationem mereri, quod Christianorum doctores in negotio religionis a suis fidem sibi habendam postulent. Provocant nimirum ad universalem legem fidei, adeo necessariam, ut nemo subtrahere se ei valeat; declarant, fidem nominatim necessariam esse, si de religione sermo sit, quae ad totum humanum genus pertineat, cujusmodi sit religio christiana; ac denique si respiciunt ad voluntatem Christi, qui, ut ante incarnationem universum hominum genus instituit, ita post eandem idem doceri per Apostolos suos eorumque successores voluit. Ita *Clemens Alexandrinus* Strom. libris 5. 6. 7; et *Origines* cont. Cels. l. 6; *Augustinus* in lib. de utilitate credendi; *Theodoretus* orat. 1. therapeutica et alii.

Christiana persuasio iis quoque aperta fit, quae Veteres de norma ac regula fidei christianae disputarunt. Commemoranda primo loco sunt quaedam testimonia ex libris recognitionum Pseudo-Clementis.[1]) Libro octavo n. 37.

[1]) Libros recognitionum Clementis Romani non esse, certum est cf. Le Nourry apparatus ad biblioth. max. vet. PP. p. 211); scriptos autem esse saeculo Ecclesiae secundo inde merito inferri videtur, quod Origines eos citavit, ac sat longum fragmentum ex eis

haec referuntur a Petro Apostolo dicta: „Audite me, conservi dilectissimi, bonum est, ut unusquisque vestrum, secundum quod potest, prosit accedentibus ad fidem religionis nostrae, et ideo non vos pigeat secundum sapientiam, quae vobis per Dei providentiam collata est, disserentes, instruere ignaros et docere, ita tamen, ut his, quae a me audistis et tradita sunt vobis, vestri tantum sermonis eloquentiam societis. Nec aliquid proprium et quod vobis non est traditum, proloquamini, etiamsi vobis verisimile videatur, sed ea, ut dixi, quae ipse a vero Propheta suscepta vobis tradidi, prosequamini, etiamsi minus plenae assertionis esse videbuntur. Hinc enim saepe contingit, declinare quosdam a veritate, dum speciem sibi verioris et validioris veritatis, propriis cogitationibus reperisse se credunt.“ Memorabilia quoque sunt, quae l. 10. n. 42. proponuntur de relatione inter doctores et instrumenta scripturae, Petri pariter ore prolata: „Multas, ut video, ingeniosi homines ex his, quae legunt, verisimilitudines capiunt, et ideo diligenter observandum est, ut lex Dei, quum legitur, non secundum proprii ingenii intelligentiam legatur. Sunt enim multa verba in scripturis divinis, quae possunt trahi ad eum sensum, quem sibi unusquisque sponte praesumpsit; quod fieri non oportet. Non enim sensum, quem extrinsecus attuleris, alienum et extraneum debes quaerere, quem ex scripturarum auctoritate confirmes, sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis. Et ideo oportet ab eo intelligentiam discere scripturarum, qui eam a Majoribus secundum veritatem sibi traditam servat, ut ipse possit ea, quae recte suscepit, competenter asserere.“

Sed ad eum jam accedamus, qui primus accuratius de fidei norma et regula disseruit. Is est Irenaeus in opere contra falsam *γνῶσιν* exarato. Praestituta professione

transcripsit; ac multo magis inde, quod Bardesanes Syrus aliud fragmentum non minus prolixum in suum adversus Marcionem librum transtulit, quem, Sotere pontifice, paullo post medium secundum saeculum Antonino imperatori nuncupavit.

fidei, quam Ecclesia per universum orbem usque ad fines terrae seminata ab Apostolis eorumque discipulis accepit: „Hanc praedicationem (*τοῦτο τό κήρυγμα*), inquit, quum acceperit, et hanc fidem, sicut antea diximus, Ecclesia et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit quasi unam domum inhabitans; et similiter (*ὁμοίως*) credit iis, quasi unam animam unumque cor habens, et consonanter (*συμφώνως*) haec praedicat et docet et tradit, quasi unum possidens os.“ Recensitis deinde variis regionibus, quas Ecclesia occupavit: „Sicut sol, ait, creatura Dei in universo mundo unus et idem est, sic et praedicatio veritatis ubique lucet, et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Et neque is, qui valde praevalet in sermone ex iis, qui praesunt ecclesiis, alia, quam haec sunt, dicet: nemo enim supra magistrum est, neque infirmus in dicendo deminorabit traditionem (*παράδοσιν*). Quum enim una et eadem fides sit, neque is, qui multum de ea potest dicere, ampliat, neque is, qui minus, minorat (l. 1. c. 10.).“

Quam fidem et praedicationem, ab Apostolis acceptam, regulam esse affirmat veritatis, quam firmiter tenentes arguere facile possimus, haereticos a veritate deflexisse (l. 1. c. 22), quam acceptam per baptismum et immobilem apud nos habentes verum a falso discernere valeamus (l. 1. c. 9).

Multo adhuc planius mentem suam aperit citati operis libro tertio. Postquam in praefatione notavit, se id agere, ut plenissimam contra omnes haereticos conficiat refutationem et modum suppeditet „fiducialiter et instantissime resistendi eis pro sola vera ac vivifica fide, quam ab Apostolis Ecclesia percepit et distribuit filiis suis,“ hunc in modum scribendo prosequitur: „Etenim Dominus omnium dedit Apostolis suis potestatem Evangelii, per quos et veritatem, hoc est Dei Filii doctrinam, cognovimus; quibus et dixit Dominus; *Qui vos audit, me audit, et qui vos contemnit, me contemnit et eum, qui me misit.* Non enim

per alios dispositionem salutis nostrae cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc praeconaverunt, postea vero per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columna fidei nostrae futurum."

Quid igitur Gnostici? Si ex scripturis arguantur, dicit Irenaeus c. 2, eos in ipsarum scripturarum converti accusationem, quasi non recte habeant, neque sint ex auctoritate, et quia varie sint dictae, et quia non possit ex his inveniri veritas ab iis, qui ignorent traditionem. Non enim per litteras communicatam esse illam, sed per vivam vocem, ob quam causam Paulum loquutum esse: *Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam autem non mundi hujus.* „Et hanc sapientiam unusquisque eorum dicit, quam a semetipso adinvenerit, fictionem videlicet. . . Unusquisque enim ipsorum omni modo perversus semetipsum, regulam veritatis depravans, praedicare non confunditur." Si autem iidem provocent ad eam traditionem, „quae est ab Apostolis, quae per successiones presbyterorum in ecclesiis custoditur," eos docet traditioni adversari, dicentes se non tantum presbyteris, sed etiam Apostolis sapientiores sinceram veritatem invenisse, dum Apostoli christianis admiscuerint judaica, imo dum Dominus ipse docendo auditoribus eorumque praejudiciis sese accommodaverit."

Quo testimonio discimus, in eo Gnosticos cum Ecclesia consensisse, scripturarum intelligentiam et interpretationem non cujusvis privato sensui committendam, sed a traditione petendam esse. Traditionem utique isti intelligebant arcanam, paucis explicatam et ἐσωτερικῶς propagatam. Cui Irenaeus opponit traditionem ecclesiarum apostolicarum, omnium oculis patentem, et Episcoporum harum ecclesiarum non interrupta successione firmatam, quae plenam necessario contineat veritatem, quam Christianam esse ipsi Apostoli cognoverunt. „Traditionem, inquit c. 3, itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam adest respicere omnibus, qui vera velint videre; et habemus annumerare

eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quae seorsim et latenter a reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas ecclesias committebant. Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos esse volebant, quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes; quibus munere suo probe fungentibus fieret magna utilitas, lapsis autem summa calamitas." Jam demonstraturus, in singulis ecclesiis apostolicis continuam semper perseverasse Episcoporum ab apostolicis successionem, atque illas omnes in eandem sententiam conspirare, necesse sibi Irenaeus minime ducit, singulas adire ecclesias, sed satis habet unius Romanae ecclesiae traditionem per continuam Episcoporum successionem in ea conservatam consulere; ratus certe ea cognita, traditionem reliquarum ecclesiarum pariter cognitam haberi, quod nimirum illa omnium princeps, caput et prima sit, omnium maxima, antiquissima et maxime cognita, a principe Apostolorum Petro ejusque socio Paulo fundata; quod omnibus praesit, cum ipsaque omnes fideles unius ejusdemque fidei et communionis vinculo colligare necesse sit. Sed Irenaeum ipsum audiamus: „Sed quoniam valde longum est, in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones, maxime et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae, eam, quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum provenientem usque ad nos indicantes confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentiam, vel per vanam gloriam, vel per caecitatem et malam sententiam, praeterquam oportet, colligunt. [1]) Ad hanc enim ecclesiam propter

[1]) Forte in textu graeco erat *παρασυνάγειν*, nempe praeter jus et fas conventus agunt.

potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio."

De hoc Irenaei dicto, quum aliquem in nostra tractatione numerum obtineat, paulo uberius disputandum est. Primo igitur nota, Romanam ecclesiam aetate Irenaei *omnium maximam* aestimatam esse, minus certe fidelium numero, de quo tunc temporis contendere cum ea aliae quaedam ecclesiae potuissent, quam auctoritatis amplitudine; *omnium item antiquissimam*, non utique fundationis tempore, quum alias ecclesias, ut Hierosolymitanam et Antiochenam dudum Apostoli fundassent, sed dignitate, adeo ut antiquissima nominetur, quia omnium princeps et praecipua. Quare dubium vix esse potest, quin Irenaeus graece scripserit *ἀρχαιοτάτης*, quam vocem interpres male reddiderit *antiquissima; omnibus cognitam*, quia nempe caeterae ecclesiae Romanam ut caput et primam venerabantur. Nota praeterea, Irenaeum scribere, *ad Romanam ecclesiam necesse esse omnem ecclesiam, seu omnes fideles per totum orbem dispersos convenire.* Non utique quod fideles, qui erant undique, officio obstringerentur Romam proficiscendi, sed quod, ut fateri coactus est vel ipse Salmasius (de primat. pap. c. 5), necesse esset convenire in rebus fidei cum ecclesia Romana. Graece quippe, inquit, loquutus fuerat Irenaeus, *συμβαίνειν πρὸς τὴν τῶν Ῥωμαίων ἐκκλησίαν;* porro *συμβαίνειν πρός τινα* aeque usitatum est Graecis, ac *συμβαίνειν τινί;* illud vero hic nonnisi ad consensum et concordiam referri, ad quamcumque peregrinationem detorqueri nonnisi insulsissime potest. Ratio autem, cur cum Romana ecclesia necesse sit omnem consentire ecclesiam, ab Irenaeo affertur potior ipsius principalitas. Ita interpretem latinum scripsisse consentit Salmasius; graece autem putat ab Irenaeo scriptum esse *διὰ τὸ ἐξαίρετον αὐτῆς πρωτεῖον;* Massuetus dissert. 3. in Irenaei libros arbitratur probabilius scriptum esse *διά τὸ ἐπέρτερον πρωτεῖον.* Quidquid vero scriptum fuit, sensus

est idem. Denique nota, ab Irenaeo scribi, in Romana ecclesia semper ab his, qui sunt undique, conservatam esse eam, quae est ab Apostolis, traditionem.

Molestum hoc testimonium omnibus est, qui catholicae fidei et obedientiae Romanae sedi debitae jugum excusserunt. Expendamus, quae ad ejus vim infringendam excogitarunt. *Salmasius*, quem jam nominavimus, opinatur velle Irenaeum, ecclesiam Romanam ut principalem, id est primam et omnium maxime puram, debere esse caeteris typum et exemplum sinceritatis doctrinae et custodiendae apostolicae doctrinae. Sed sub hoc respectu cum ecclesia Romana contendere potuissent Smyrnensis et Ephesina ecclesia, quas subinde Irenaeus memorat. Quamobrem frustra et ridicule uni Romanae ecclesiae *potiorem principalitatem* Irenaeus asseruisset, quam aliae, ipsae et ab Apostolis pariter fundatae et a sanctissimis eorum successoribus gubernatae eodem jure vindicare sibi potuissent. Frustra contendisset, *necesse esse omnem ecclesiam convenire et concordare in rebus fidei ac doctrinae cum Romana ob potiorem ejus principalitatem.* Nisi enim sententiae Romanae ecclesiae parere caeterae obstringantur, nulla est potior necessitas consentiendi cum ipsa, quam cum Antiochena, Ephesina, Smyrnensi et aliis.

Grabius contendit, per conventum omnis ecclesiae ad Romanam propter potentiorem principalitatem intelligendum esse confluxum eorum, qui ab omni ecclesia Romam mittebantur, ut causam Christianorum agerent apud imperatores, quorum potentior erat principalitas, id est suprema potestas. Ob potentiorem itaque principalitatem Romanorum, ait, contingebat, ut ad Romanam urbem et proinde ecclesiam, ab omnibus undique ecclesiis convenirent fideles, defensionem suae fidei ac ecclesiae suscepturi. De hoc vero conventu ad locum urbis et ecclesiae Romanae, non de communione fidei ac caritatis cum ea, multo minus de subjectione fidei Irenaeus hoc in loco scripsit. At, si ita res habuit, ut ponit Grabius, quomodo explicabitur, quod ne uno quidem exemplo probari possit, ante Irenaei

aetatem, Romam veniendum fuisse fidelibus, ut causam Christianorum apud imperatores agerent? Plures apologias imperatoribus oblatas fuisse a doctis viris legimus, sed eos Romam ab ecclesiis missos, ut Christianorum causam apud imperatores agerent, non legimus. Deinde Irenaeus scribit, necesse esse fideles convenire ad Romanam ecclesiam, non urbem. Cur igitur Grabius hanc, non illam intelligi vult? Ad Romanam urbem, inquit, et proinde ecclesiam ab omnibus undique ecclesiis conveniebant fideles. Num igitur Romana urbs et Romana ecclesia idem ita sunt et sonant, ut quisquis urbem adibat, convenire ecclesiam dicendus sit? Ne verbo quidem Irenaeus meminerat Romanae urbis, aulae, ac imperatorum Romanorum, et nihilominus verba „ob potentiorem principalitatem“ non ad ecclesiam, sed ad urbem, aulam, imperatores pertinent secundum Grabium. Denique Grabii interpretatione admissa haec dicenda foret Irenaei argumentatio: Illarum ecclesiarum eadem est cum Romana fides et traditio, quarum fideles necesse est Romam venire, ut causam Christianorum agant apud imperatores, quorum potentior est principalitas seu potestas suprema. Atqui necesse est fideles ex omnibus ecclesiis Romam venire, ut id praestent. Ergo omnium ecclesiarum eadem est cum Romana fides et traditio. Quis nisi delirus ita argumentetur?

Gieseler (Lehrbuch der Kirchengeschichte B. 1. p. 176) Irenaei locum enarrat hoc modo: Cum Romana ecclesia propter potiorem principalitatem (vorzüglichen Ursprünglichkeit), ex natura rei tota ecclesia, id est totius orbis fideles consentire debent. Confutationem hujus sententiae sane praeclaram lege apud Döllinger (Kirchengeschichte Periode 1. § 33). Quibus refutantur etiam ea, quae citeriore aetate de eodem testimonio idem auctor scripsit (Erwägungen über die Frage der päpstlichen Unfehlbarkeit § 11). Unum solum addit, quod peculiarem considerationem meretur, nempe idem, quod de Roma Irenaeus dicat, duobus post saeculis de Constantinopoli dixisse Gregorium Nazianzenum. Testimonium, quod a P. Gratry

in secunda ejus epistola hunc in modum citatur: „Constantinopolis est orbis oculus, est orientalis atque occidentalis orae velut nodus et vinculum; hic undique concurrit, quidquam magnum est, et hinc omnia exeunt et diffunduntur velut a communi emporio fidei", occurrit in orat. 42, quae inscribitur: Supremum vale coram centum quinquaginta Episcopis. Ita vero illud habet: Etenim, si civitatem, orbis oculum, terra marique potentissimam, orientalis atque occiduae orae velut nodum et vinculum, ad quam extremi totius terrae fines concurrunt, et a qua, velut a communi fidei emporio, incipiunt; si hanc, inquam, civitatem salutifera doctrina fulciisse ac firmasse haud magnum ac amplum censendum est, idque quam tot linguis omni ex parte agitaretur, vix certe aliud quidquam magnum ac studio dignum videri poterit. Si autem laudabile ac praeclarum existimandum est (liceat mihi quoque per vos hoc nomine nonnihil gloriari), aliquam ipsi quoque partem his, quae videtis, contulimus." Quae huc redeunt: Catholicam doctrinam fulcire et stabilire Constantinopoli, ut Gregorius praestiterat, magnum sane est opus et ecclesiae utilissimum, quia, dum nobilissimi quique et potentissimi Constantinopolim, caput imperii, accurrunt, facile ibi discunt ac in alias provincias diffundunt veram, quae ibi docetur, doctrinam. Atque hic quum sit verborum Gregorii Nazianzeni sensus, facili judicio statues de eo, quod Gratry istis subjicit: Si haec a Gregorio Romae pronuntiata fuissent, fundamenti theologici instar habita essent doctrinae de Romani Pontificis infallibilitate.

Sed unde huc degressa est, eodem redeat oratio. Exhibita igitur Romanorum Episcoporum successione[1]), ita concludit: „Hac ordinatione et successione ea, quae est

[1]) Tertio loco nominat Clementem, qui et viderit Apostolos cum eisque contulerit, et insonantem adhuc eorum praedicationem et traditionem coram exceperit. Hic porro, ait, dissensione non modica inter fratres, qui Corinthi erant, orta scripsit Corinthiis potentissimam epistolam (ἱκανωτάτην γραφήν), ad pacem eos congregans et reparans fidem eorum et traditionem, quam ab Apostolis non ita pridem accepe-

ab Apostolis in Ecclesia traditio et veritatis praeconatio, pervenit usque ad nos. Et est plenissima haec ostensio, unam et eandem vivificatricem fidem esse, quae in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate.“

Cum qua plenissima ostensione jungit praedicationem Polycarpi, discipuli Apostolorum, episcopi ecclesiae Smyrnensis, magistri Irenaei et martyris gloriosissimi, qui semper docuerit, quae ab Apostolis didicerat, quae et Ecclesiae tradidit et sola sunt vera. Relata deinde responsione, qua Johannes Cerinthum, et Polycarpus Marcionem excepit, disputationem prosequitur: „Tantum Apostoli et horum discipuli habuerunt timorem, ut ne verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem.... Est autem et epistola Polycarpi ad Philippenses scripta perfectissima, ex qua et characterem fidei ejus et praedicationem veritatis, qui volunt et curam habent suae salutis, possunt discere.“ Denique commemorat, quae est Ephesi, ecclesiam, a Paulo quidem fundatam, a Johanne autem apud Ephesios usque ad Trajani tempora residente honestatam, ut veram testem apostolicae traditionis. „Tantae igitur ostensiones quum sint, non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; quum Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quae sint veritatis, uti omnis, quicumque velit, sumat ex ea potum vitae. Haec est enim vitae introitus; omnes autem reliqui fures sunt et latrones. Propter quod oportet quidem devitare illos, quae autem sunt Ecclesiae, cum summa diligentia diligere et apprehendere veritatis traditionem“ [1]).

Quod uberius contra *Gnosticos* declaraturus scribit:

---

rant. Unde collige, quid potentissimae epistolae nomine significetur; scilicet epistola praedita auctoritate, cui obedientia debetur.

[1]) Quam false igitur Neander (Dogmengeschichte I. p. 80) scribit, Irenaeum, quum ipsius aetate non omnes Christiani mentem ita excultam haberent, ut qua par est ratione scripturarum lectioni insisterent, consilium illis dedisse, ut traditionem sequerentur.

„Quid enim? Et si de aliqua modica quaestione [1]) disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de praesenti quaestione sumere, quod certum et re liquidum est? Quid autem si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum, eorum, qui in Christum credunt sine charta et atramento, scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem et veterem traditionem diligenter custodientes.“

Ut totam horum vim assequaris, nota, Irenaeum, qui plenam Gnosticorum refutationem conficere vult, tertio hoc libro propositum sibi habere „ex scripturis inferre ostensiones, ut (quemadmodum loquitur) nihil tibi ex his, quae praeceperas, desit a nobis, sed et praeterquam opinabaris, ad arguendum et evertendum eos, qui quolibet modo male docent, occasiones a nobis accipias.“ Habebat vero haec ex scripturis refutatio difficultatem in eo sitam, quod contra adversarios agendum esset, qui ex scripturis veritatem cognosci posse negabant, nisi comperta sit traditio, traditio autem non ea, quae per successiones episcoporum in ecclesiis custoditur, sed secreta quaedam et ἐσωτερική ipsis nota. Itaque Irenaeus id sibi inprimis praestandum esse duxit, ut traditionis, quam ad *scripturae* intelligentiam necessariam esse haud infitiabatur, veram et legitimam notionem statueret. Alia scilicet ea est, quam notio, qua mentes informatas volebant Gnostici. Vera traditio enim subjective est praedicatio Ecclesiae, objective vero tota veritas christiana in Ecclesia vivens, et ab Ecclesia a singulis sumenda et apprehendenda. Atque hinc si disceptatio de quaestione alicujus momenti, proindeque etiam de quaestione ad scripturam ejusque intelligentiam

[1]) Hujusmodi quaestionem non posse esse fidei, sed quaestionem esse ad cultum et similia pertinentem, affirmat Neander. At de quanam, quaeso, re inter Irenaeum et Gnosticos disputatio erat?

spectante oriatur, non alia ad eam dirimendam patet via, quam via receptus ad ecclesias, in quibus conversati sunt Apostoli. Et certe fac, inquit Irenaeus, Apostolos scripturas non reliquisse, certe praeter ordinem traditionis, quam iis communicarunt, quibus ecclesias committebant, nihil plane haberetur. Haec igitur et haec sola est traditio apostolica, cui parendum nobis est. Hinc patet, praeter et contra Irenaei mentem ex allegato testimonio quosdam inferre, Irenaeo auctore ea tantum lege vim valoremque traditioni tribuendam esse, quod Apostoli scripturas nobis non reliquerint.

Sed alia sunt Irenaei testimonia, quibus ejus mens luculenter patefit. Libri tertii c. 24. mentionem facit fidei nostrae, quam ab Ecclesia perceptam custodimus, et quae semper a Spiritu Dei conservatur, quasi in vase bono eximium quoddam depositum juvenescens et juvenescere faciens ipsum vas, in quo est. „Hoc enim, inquit, Ecclesiae creditum est Dei munus, quemadmodum ad inspirationem plasmationi, ad hoc, ut omnia membra percipientia vivificentur; et in ea disposita est communicatio Christi, id est Spiritus sanctus, arrha incorruptelae et confirmatio fidei nostrae et scala ascensionis ad Deum. In Ecclesia enim posuit Deus Apostolos, prophetas, doctores, et universam reliquam operationem Spiritus, cujus non sunt participes omnes, qui non currunt ad Ecclesiam, sed semetipsos fraudant a vita per sententiam malam et operationem pessimam. Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia; Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participant eum, neque a mamillis matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem, sed effodiunt sibi lacus detritos, de fossis terrenis, et de coeno putidam bibunt aquam effugientes fidem Ecclesiae, ne traducantur, rejicientes vero Spiritum, ut non erudiantur.“

His adhuc clariora si desideras, consule ejusdem Patris librum quartum, in quo menti sistit magisterium

ecclesiasticum ornatum confirmatumque donis et virtute Spiritus sancti, quod vivam et incontaminatam conservat apostolicam traditionem et intelligentiam interpretationemque authenticam scripturae tenet. „Eis, qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his, qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus; qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt; reliquos vero, qui absistunt a principali successione, et quocumque loco colligunt, suspectos habere vel quasi haereticos, et malae sententiae, vel quasi scindentes unitatem. . . . Omnes autem hi deciderunt a veritate. . . Ab omnibus igitur talibus absistere oportet, adhaerere autem his, qui et Apostolorum, sicut praediximus, doctrinam custodiunt, et cum presbyterii ordine sanum sermonem, et conversationem sine offensa praestant ad confirmationem et correptionem reliquorum. . . Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quae est ab Apostolis, Ecclesiae successio, et id, quod est sanum et irreprobabile conversationis, et inadulteratum et incorruptibile sermonis constat. Hi enim et eam, quae est in unum Deum, qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt . . . et scripturas nobis sine periculo exponunt (c. 26)." Hinc Irenaeo discipulus vere *πνευματικός* is est, qui tenet regulam fidei, cui persuasum est, unum esse Deum, qui omnia per Verbum suum fecerit. Hic enim tenet caput, ex quo totum *σωματεῖον τῆς ἀληθείας* compactum et connexum, et per omnem juncturam subministrationis in mensura uniuscujusque partis, incrementum corporis facit. „Post deinde et omnis sermo ei constabit, si et scripturas diligenter legerit apud eos, qui in Ecclesia sunt presbyteri, apud quos est apostolica doctrina" (c. 32). Hujusmodi discipulus „judicabit omnes eos, qui sunt extra veritatem, id est, qui sunt extra Ecclesiam. . . Omnia enim ei constant, et in unum Deum omnipotentem, ex quo omnia, fides integra; et in Filium Dei, Christum Jesum Dominum nostrum, per quem omnia . . .. sententia firma; et in

Spiritum Dei, qui praestat agnitionem veritatis . . . Gnosis vera est Apostolorum doctrina, *καὶ τὸ ἀρχαῖον τῆς ἐκκλησίας σύστημα κατὰ παντὸς τοῦ κόσμου*, et character corporis Christi secundum successiones Episcoporum, quibus illi eam, quae in unoquoque loco est, Ecclesiam tradiderunt; quae pervenit usque ad nos custoditione sine fictione scripturarum tractatio plenissima, neque additamentum neque ablationem recipiens; et lectio sine falsatione, et secundum scripturas expositio legitima et diligens, et sine periculo et sine blasphemia" (c. 33).

Huc igitur paucis comprehensa redit Irenaei doctrina: Apostoli Evangelium primo quidem ore, deinde vero etiam scripto Ecclesiae tradiderunt, ac in ipsam velut in depositorium dives omnia contulerunt, quae ad veritatis cognitionem et vitae a Christo fluminis instar orientis participationem pertinent. In sola Ecclesia reperiuntur genuinae scripturae earumque interpretatio, tota doctrina apostolica. Quare quicumque veritatem discere et vitae fide informatae particeps esse velit, Ecclesiam adeat, ipsam audiat, quaeque ipsa offert, avidissime appetat. Est etenim Ecclesia janua, per quam ad notitiam salutis ipsamque salutem intratur. In Ecclesia, cujus praesules sunt successores Apostolorum, continuatur munus, quod hi habebant, ipsorum doctrina secundum ordinem successionis propagatur. Magisterium Ecclesiae nititur charismate veritatis et Spiritus sancti, qui in organis ad hoc institutis operatur. Operatur quidem Spiritus sanctus etiam in singulis quibusque, qui ad fidem et eam, quae ex fide est, regenerationem accedunt, sed mediante organo suo, quod est Ecclesia. Hinc duas enuntiationes: *Ubi Ecclesia, ibi Spiritus Dei*, et, *Ubi Spiritus Dei, ibi Ecclesia*, junctas nobis exhibet Irenaeus, ita vero, ut primo loco non hanc, sed illam ponat.

Eadem, quae Irenaei est, est etiam *Tertulliani* doctrina, quam maxime in libro praescriptionum exposuit. Agit in hoc libro partes advocati communionis catholicae contra haereticos. Ipsum jam haereticorum nomen, inquit, in-

dicat viam veritatis eos deseruisse; proprio namque arbitrio gubernati id dumtaxat eligunt, quod eis arridet. Nobis vero nihil ex nostro arbitrio inducere licet, nec aliquid eligere, quod quis suo induxerit arbitrio. Magistri nostri sunt Apostoli, ut horum magister Christus est, atque ideo, etiamsi angelus de coelis aliter evangelizaret, anathema diceretur a nobis (c. 6). Mater haereseos illa est philosophia, a qua cavendum esse Apostolus Colossenses monet, quae scilicet nihil habet cum sancta nostra fide commune. „Quid ergo Athenis et Hierosolymis? quid academiae et Ecclesiae? quid haereticis et Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est, qui et ipse tradiderat, Dominum in simplicitate cordis esse quaerendum. Viderint qui stoicum et platonicum et dialecticum Christianismum protulerunt“ (c. 7). Tum perfectionem fidei christianae repraesentat ad excludendam imperfectionem, quam ei nondum ad gnosin evectae adscribebant sectae gnosticae. „Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium: quum credimus, nihil desideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, non esse, quod ultra credere debeamus.“ At, interrogat Tertullianus, personam Gnostici induens, quomodo cum hoc componitur dictum scripturae: *Quaerite et invenietis?* Haec, reponit, Dominus dixit in ipso exordio doctrinae suae, quum adhuc dubitabatur, an Christus ipse esset, quum quaerendus adhuc, nondum autem agnitus erat. Haec Judaeis dixit, qui habebant, ubi quaererent, nempe scripturas, non Apostolis, quibus Spiritum sanctum misit, in omnem eos deducturum veritatem, nec nobis, quibus veritas ultro obvenit per Apostolos (c. 8). Sed dato, omnibus dictum esse: *Quaerite et invenietis*, praestituendum inprimis est, unum aliquid et certum a Christo institutum esse, quod credere omnimodo debeant nationes, et ideo quaerere, ut inventum credant. Quaerendum proinde, donec inventum sit, et quum inventum est, credendum, ac non jam ulterius quaerendum, sed custodiendum. Si dubitatio de eo sit, quod Christus instituerit, constabit

penes nos inveniri, quod a Christo institutum est (c. 9). Non omnem inquisitionem exclusam vult Tertullianus, sed eam dumtaxat, quae extra limites inquisitioni fixos vagatur. Quaerendum igitur est, *quod Christus instituit, quando nondum inventum est, quousque inventum sit* (c. 10).

Verum ubi quaerendum est, quod Christus instituit? Non apud haereticos, ubi omnia extranea et adversaria nostrae veritati, ad quos accedere vetamur, sed quaerendum est „in nostro, et a nostris, et de nostro, idque dumtaxat, quod salva regula fidei potest in quaestionem devenire“ (c. 12). Ut ab ipso limine definiat, quid ut veritas immobiliter tenendum sit, exponit, quid contineat regula fidei (c. 13). Hanc, a Christo institutam, nullas apud nos habere declarat quaestiones, nisi quas haereses inferant, quaeque haereticos faciant. Unde inquisitionem scripturarum rejicit, quae independens sit a regula fidei, et hanc non agnoscat normam, cui se conformet (c. 14). Sed ad rem jam propius accedit atque in certamen venit, ad quod provocant adversarii.

„Scripturas obtendunt, et hac sua audacia statim quosdam movent; in ipso vero congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Hunc igitur potissimum gradum obstruimus, non admittendos eos ad ullam de scripturis disputationem“ (c. 15). Quod primo probat ratione generica, quia nempe Apostolus correptionem quidem haereticorum, non autem disputationem cum eis nobis injunxit (c. 16). Deinde inde idem ostendit, quod congressio scripturarum nihil proficiat, „nisi plane ut stomachi quis ineat conversionem aut cerebri. Ita haeresis non recipit quasdam scripturas, et si quas recipit, non recipit integras, adjectionibus et detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit, et si aliquatenus integras praestat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum et corruptor stilus“ (c. 17). Praeterea inde, quod disputationem ex scripturis alia necessario praecedat quaestio. „Ergo non ad scripturas provocandum est, nec in

his constituendum certamen, in quibus aut nulla aut incerta victoria est aut parum certa. Nam etsi non ita evaderet collatio scripturarum, ut utramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: quibus competat fides ipsa, cujus sint scripturae, a quo et per quos et quando et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani. Ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinae et fidei christianae, illic erit veritas scripturarum et expositionum et omnium traditionum christianarum“ (c. 19).

Quid vero Tertullianus de illa quaestione, quam inprimis solvendam esse scribit? Christus Jesus, inquit, dum in terra degeret, veritatem populo publice, et quibusdam privatim annuntiavit, ex quibus praecipuos duodecim lateri suo adlegit, ac nationibus magistros destinavit. Rediturus ad Patrem hos jussit proficisci in universum mundum, docere omnes gentes easque baptizare in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Cui mandato obtemperantes Apostoli, accepta promissa virtute Spiritus sancti, primo in Judaea fidem contestabantur ac ecclesias fundabant, tum in orbem profecti doctrinam ejusdem fidei gentibus omnibus annuntiabant et in quacumque civitate ecclesias fundabant, a quibus caeterae ecclesiae traducem fidei et semina doctrinae mutuatae sunt, et quotidie mutuantur, ut ecclesiae fiant. Ac per hoc caeterae etiam hae ecclesiae deputantur apostolicae, ut soboles apostolicarum ecclesiarum. Et ita omnes sunt una apostolica ecclesia, quibus idem sacramentum fidei traditum est, et a quibus idem rursus traditur (c. 20).

Huc igitur redit argumentum, quo haeresis, nulla antegressa inquisitione a christiano nomine christianaque veritate repellitur: Si Dominus noster Jesus Christus Apostolos misit ad praedicandum, alii praeter ipsos admittendi non sunt praedicatores, quum ipsis, non aliis veritatem patefecerit. Quid autem praedicaverint Apostoli, id est quid eis Christus revelaverit, definiendum est testimonio ecclesiarum, „quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi

eis praedicando tam viva, quod ajunt, voce, quam per epistolas postea.“ Quare omnis doctrina, quae cum illis ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspirat, veritati deputanda est, sine dubio tenens, quod ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit; reliqua vero omnis doctrina de mendacio praejudicanda, quae sapit contra veritatem ecclesiarum, et Christi et Dei. Quo igitur modo probatur, doctrinam, cujus summam c. 13. proponit Tertullianus, ab Apostolis traditam esse, ideoque oppositam doctrinam mendacio adscribendam? „Communicamus cum ecclesiis apostolicis, quod nulla doctrina diversa (forte supplendum: affirmare potest); hoc est testimonium veritatis“ (c. 21). Demonstratione hoc pacto contra haereticos confecta, exceptiones, quas contra eam movent, examini subjicit.

Prima est, non omnia Apostolos, vel omnia scivisse quidem, non autem omnia omnibus tradidisse. Quam eloquentissime refutat a c. 22. usque ad c. 27.

Accedit altera, Apostolos utique simpliciter et plene veritatem praedicasse, ecclesias vero suo vitio aliter, quam Apostoli eam protulerint, accepisse veritatem; et certe ecclesias Galatarum et Corinthiorum ab Apostolis correptas legi. At, reponit Tertullianus, si correptas legunt ecclesias, credant emendatas; et praeterea oblivioni ne dent ecclesias, de quarum fide et conversatione Apostolus gloriatur Deoque gratias agit, quaeque hodie cum illis correptis unius institutionis jura miscent (c. 27). Ponamus, omnes errasse, ac Spiritum sanctum ne unam quidem in veritatem induxisse, quamvis ad hoc a Patre postulatus et a Christo missus esset, ut veritatis esset Doctor, Dei villicum et Christi vicarium officium suum neglexisse permittendo, ut ecclesiae aliter intelligerent et crederent praedicationem Apostolicam, quam intelligenda et credenda ea erat, num verosimile censeri potest, tot ac tantas ecclesias in *unam* fidem errasse? Unitas fidei non errorem, sed tantum traditionem causam habere potest. „Audeat ergo aliquis dicere illos errasse, qui tradiderunt?“ (c. 28).

Veritati exspectandi primum non erant Marcion et Valentinus; priusquam hae haereses essent, jam annuntiabatur (c. 29. 30). Brevi „si constat, id verius, quod prius, id prius, quod et ab initio, id ab initio, quod et ab Apostolis, pariter utique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum“ (cont. Marc. l. 4. c. 5. coll. l. 5. c. 19). Quod idem, principalitatem (Ursprünglichkeit) nempe esse notam veritatis, illustrat parabola evangelica hominis, qui seminavit bonum semen in agro suo. Quum enim, inquit, similitudine seminis verbum Dei veniat, patet, „id esse dominicum et verum, quod est prius traditum, id autem extraneum et falsum, quod est posterius immissum“ (c. 31).

Caeterum si quae haereses ad apostolicam aetatem origines suas revocant, attamen ab Apostolis non sunt. „Edant ergo origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et successorem. Hoc enim modo ecclesiae Apostolicae census suos deferunt; sicut Smyrnaeorum ecclesia Polycarpum a Johanne collocatum refert; sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum itidem. Perinde utique et caeterae exhibent, quos ab Apostolis in episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid haeretici.“ Sed licet confinxerint, nihil tamen eos juvabit. Haereticorum enim doctrina cum Apostolica comparata monstrabit, eam nec ab aliquo Apostolo nec ab aliquo viro Apostolico provenire. Sicut enim inter se Apostoli consentiebant, ita cum ipsis consentiebant Apostolici viri (c. 32). „Percurre ecclesias Apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae Apostolorum suis locis praesident; apud quas ipsae authenticae litterae eorum recitantur, sonantes vocem et repraesentantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi Achaja? Habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses; si potes in Asiam ten-

dere, habes Ephesum; si autem Italiae adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Ista quam felix Ecclesia! cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt; ubi Petrus passioni dominicae adaequatur, ubi Paulus Johannis exitu coronatur, ubi Apostolus Johannes, posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid didicerit, quid docuerit, quid cum africanis quoque ecclesiis contesseraverit“ (c. 36).

Jam ad conclusionem proprius accedens scribit: „Si haec ita se habent, ut veritas nobis adjudicetur, quicumque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit, constat ratio propositi nostri definientis, non esse admittendos haereticos ad ineundam de scripturis provocationem, quos sine scripturis probamus ad scripturas non pertinere. Si enim haeretici sunt, Christiani non sunt, non a Christo habendo, quod de sua electione sectati haereticorum nomine admittunt. Ita non Christiani, nullum jus capiunt Christianarum litterarum, ad quos merito dicendum est: qui estis? quando et unde venistis? quid in meo agitis non mei? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Ego sum haeres Apostolorum; sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo. Vos certe exhaeredaverunt semper et abdicaverunt ut extraneos, ut inimicos. Unde autem extranei et inimici Apostolis haeretici, nisi ex diversitate doctrinae, quam unusquisque de suo arbitrio adversus Apostolos aut protulit aut recepit“ (c. 37).

Haeretici igitur secundum Tertullianum ideo nullum jus divinarum litterarum capiunt, quia traditionem Apostolorum, a qua ipsorum litterae avelli nequeunt, abjiciunt. Ea de causa haeretici, quum ad scripturas provocant ex ipsisque controversias, quae contra nos excitarunt, diremtas volunt, repellendi sunt, quia nempe fundamentum, quo vera scripturae interpretatio nititur, traditionem Aposto-

licam, non admittunt, ac scripturas enarrant secundum subjectivas et arbitrarias, quas proprio Marte excogitarunt opiniones, ac persaepe a corruptione etiam scripturae non abhorrent. „Illic igitur et scripturarum et expositionum adulteratio deputanda est, ubi diversitas doctrinae invenitur. Quibus fuit propositum aliter docendi, eos necessitas coegit aliter disponendi instrumenta doctrinae. Alias enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent, per quae docerent. Sicut illis non potuisset succedere corruptela doctrinae sine corruptela instrumentorum ejus, ita et nobis integritas doctrinae non competisset sine integritate eorum, per quae doctrina tractatur. Etenim quid contrarium nobis in nostris? quid de proprio intulimus, ut aliquid contrarium ei, quod esset in scripturis deprehensum, detractione vel adjectione vel transmutatione remediaremus? Quod sumus, hoc sunt scripturae ab initio suo; ex illis sumus, antequam aliter fuit, antequam a vobis interpolarentur" (c. 38).

Ut Irenaeus, ita Tertullianus morem dolet haereticorum, commenta propria phrasibus biblicis exhibendi, quasi nempe ex scripturis ea desumpta essent. Hinc audet hanc ferre sententiam: „Nec periclitor dicere, ipsas quoque scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, ut haereticis materias subministrarent, quum legam, oportere haereses esse, quae sine scripturis esse non possunt" (c. 39).

Itaque Tertulliani doctrina ad haec capita redit: Traditio Apostolica in ecclesiis invenitur ab ipsis aut immediate aut mediate fundatis, propagaturque per vivens ecclesiasticum magisterium. Traditio, non autem scriptura est judex controversiarum, ad quem haeretici vocandi sunt. Norma ac regula fidei traditione Apostolica communicata simul est norma objectiva interpretationis scripturae. Hujus integritas, authentia ac inspiratio constat auctoritate traditionis ecclesiasticae. Traditio est principium formale fidei, scripturae sunt instrumentum doctrinae.

De eadem re audiatur tertio loco *Clemens Alexandrinus*. Hic rationem fidei suae christianaeque cognitionis

redditurus, commemorat doctrinam vivorum beatorum, quos audire dignus sit habitus. „Si veram quidem beatae doctrinae servabant traditionem, statim a Petro, et Jacobo, et Johanne et Paulo, sanctis Apostolis, ita ut filius acciperet a patre . . ., ad nos quoque Deo volente pervenerunt, illa a Majoribus data et apostolica deposituri semina (Strom. l. 1. pag. 702)." Hic Clemens non fidem solum, sed maxime gnosin christianam ob oculos habet, quam a genuinis discipulis et successoribus Apostolorum conservatam et in Ecclesia propagatam esse docet. Ut autem veram imaginem et adumbrationem eorum, quae ab istis viris audivisset, ad medicamentum oblivionis reconderet, Stromaton libros se scripsisse dicit. Porro *γνωστικὴν παράδοσιν* Apostolos suos Christus ipse docuit, illi paucis, nempe perfectis cum oretenus communicarunt, atque hac via propagata ea est. Maxime ad eam pertinet scripturarum intelligentia, unde et nomen, quo appellatur *ἡ τοῦ ἐγγράφου ἔγγραφος παράδοσις* (L. 6. pag. 284. 356).

Clemens (l. 7. pag. 524) certiores nos facit de hac objectione Graecorum et Judaeorum, credendum non esse propter dissensionem haerescon; distrahere namque nos et defatigare etiam ipsam veritatem, dum alii alia constituant dogmata. Plura ad eam solvendam profert. Inter quae et istud, absonum esse a veritate idcirco abstinere, quod aliqui pacta conventa non observaverint, et eam, quae apud nos fiat, confessionem transgressi sint. Propter hos, ait, nullo modo convenit nos transiliro regulam ecclesiasticam, maximeque eam, quae fit de rebus maximis professionem. . . Est ergo credendum iis, qui firmiter adhaerent veritati." Haeretici veritatem non didicerunt et acceperunt, sed quam dicunt veritatem, sibi ipsis sui amore et gloriae cupidine ducti composuerunt. Viam regiam et tritam deseruerunt, viamque ingressi sunt, quae ad praecipitium fert. *Ἐν μόνῃ τῇ ἀληθείᾳ καὶ τῇ ἀρχαίᾳ Ἐκκλησίᾳ ἡ τε ἀκριβεστάτη γνῶσις καὶ ἡ τῷ ὄντι ἀφίσις ἄφεσις.* Ut Irenaeus et Tertullianus, ita Clemens quoque doctrinam ab Apostolis traditam et in Ecclesia custoditam

agnoscit regulam fidei, a qua recedere sit nefas. Hinc verum gnosticum, amicum veritatis monet, ut hujus regulae sit memor (pag. 530. sq.). „Necesse enim est labi in maximis eos, qui res maximas aggrediuntur, nisi regulam veritatis ab ipsa veritate acceptam tenuerint. Qui autem eo devenerint, ut a recta via exciderint, merito etiam falluntur in plurimis singularibus, quia deest ipsis criterium veri et falsi, ut secure quod oportet eligant. Si enim haberent, parerent scripturis divinis . . . . homo Dei esse et Domino fidelis esse desiit, qui adversus ecclesiasticam recalcitravit traditionem, et in humanarum haereseon disiluit opiniones.“ Atque ita haeretici agunt (pag. 543. sq.). Nova excogitant, eludunt ea, quae congruunt sermonibus divinitus inspiratis, tradita a beatis Apostolis et magistris per alias argumentationes, humanis doctrinis divinae traditioni resistentes, ut haeresin constituant. Hinc cum Marcione aliisque praeclare actum esset, nisi studuissent praecedentes superare, et si operam in eo collocassent, ut prius tradita discerent.

His ea adnectimus, quae idem Clemens habet Strom. l. 6. pag. 348. sq.: „Quod autem auditis in aurem, abdite scilicet et mystice, super domos, inquit, praedicate, ea scilicet magnifice excipientes, sublimiter dicenter tradentes, et ex regula veritatis scripturas explicantes.“ Regula autem veritatis quaenam sit, statim explanat, est *κάνων ἐκκλησιαστικός*, et proxime ante dixerat, est cognitio et exercitatio veritatis conformis doctrinae Domini, quae per piam Apostolorum traditionem ad nos pervenit. Unde si Clemens verum gnosticum eum nominat, qui totum se scripturarum inquisitioni dederit, non intelligit, ut Neander (Dogmengeschichte B. 1. S. 86.) opinatur, investigationem scripturarum, qualem protestantes intelligunt, sed omnino eam, quam Catholici propugnant.

Quartus accedat, cujus eadem est sententia, *Origenes*. In praefatione operis *περὶ ἀρχῶν* hunc in modum disserit: Omnes, qui credunt et certi sunt, quod et gratia et veritas per Jesum Christum facta sit, quod Christus sit veritas,

non aliunde scientiam, quae homines provocat ad bene beateque vivendum suscipiunt, quam ab ipsis verbis et doctrina Christi. Verba autem Christi non ea tantum sunt, quae homo factus docuit, sed ea etiam, quae ut Patris Verbum per Moysen et prophetas docuit. Porro quoniam, „multi ex his, qui Christo credere se profitentur, non solum in parvis et minimis discordant, verum etiam in magnis et maximis, id est vel de Deo vel Domino Jesu Christo, vel de Spiritu sancto . . ., propter hoc necessarium videtur prius de his singulis certam lineam manifestamque regulam ponere, tum deinde etiam de caeteris quaerere. Sicut enim multis apud Graecos et Barbaros pollicentibus veritatem, desivimus apud omnes eam quaerere, qui eam falsis opinionibus asserebant, postcaquam credidimus, Filium Dei esse Christum, et ab ipso nobis hanc dicendam esse persuasimus; ita quum multi sint, qui se putant sentire, quae Christi sunt, et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant, servetur vero ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita et usque ad praesens in Ecclesia permanens. Illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione."

Facile esset quintum adjicere, qui de eadem re agit, *Vincentium Lirinensem*, sed adeo aperte et luculenter normam et regulam fidei assignat testimonium et praedicationem testium authenticorum, ut commonitorium eo solo consilio conscripsisse videatur, ut hanc regulam stabiliret et vindicaret (cf. nominatim c. 9; 21—25; 33). Quantum autem alienus sit a commento protestantium, solam scripturam esse normam et regulam fidei, tum aliunde, tum maxime ex capite secundo colliges, ubi docet, necessarium esse, ut „propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur."

Satius itaque adhuc unum adducimus, qui his omnibus antiquior est, *Ignatium Martyrem*. De quo Eusebius hist. eccl. l. 3. c. 36, consilium, quo ejus epistolae con-

scriptae sint, et argumentum, quod potissimum contineant, exhibens scribit: „Singularum civitatum ecclesias monebat inprimis, ut maxime caverent haereses tum primum erumpentes et invalescentes, hortatusque est, ut tenaciter inhaererent Apostolorum traditioni, quam testificans jam etiam scripto consignare securitatis causa necessarium duxit.“ Caeteris epistolis missis in epistola ad Ephesios n. 3. sq. ita disserit sanctus Martyr: „Admonui vos, ut unanimes sitis in sententia (γνωμῃ) Dei; etenim Jesus Christus, inseparabilis vita nostra, Patris est sententia, sicut et Episcopi per fines terrae constituti in Jesu Christi sententia sunt; unde oportet vos unanimes esse sententiae Episcopi. . . Quemcumque enim pater familias mittit ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus, sicut ipsum, qui mittit. Manifestum igitur est, quod Episcopum oporteat respicere ut ipsum Dominum. Et quidem ipse Onesimus laudat vestrum in Deo ordinem, quod omnes secundum veritatem vivatis et quod nullus apud vos sit haeresi locus.“

Eandem christiani nominis persuasionem monstrat deinde summa cura, quae in conservando catalogo praesulum, qui ab Apostolis vel apostolicis viris sibi successerunt, adhibita fuit. Hujus namque curae causa alia non fuit, quam persuasio, sinceritatem et conservationem fidei ab hac successione pendere. Unde ista, quae in Clementis Romani, Ignatii Martyris, Polycarpi epistolis legis de necessitate cohaerendi et consentiendi cum Episcopis, ut ab heeresi caveatur, veraque fides conservetur. Unde et istud quod refert Eusebius hist. eccl. l. 4. c. 22. de Hegesippo, qui quoquoversus profectus sit, ut a successoribus Apostolorum salutarem doctrinam disceret, quique catalogum Romanorum Episcoporum composuerit. Unde denique ista, quae ex Irenaeo, Tertulliano, Origine et Vincentio Lirinensi adduximus; Catalogum nominatim Romanorum Pontificum texuerunt *Irenaeus* adv. haer l. 3. c. 3; *Augustinus* ep. 52; *Optatus Milevitanus* de schismate Donatist. l. 2. c. 3; *Epiphanius* haer. 27. c. 6. qui

postremus aperte declarat, qua ratione permotus catalogum exhibuerit: „Nemo miretur, ait, quod singula tam diligenter percurrerim; per haec enim perpetuo aperta veritas ostenditur."

Denique solemnibus factis eadem persuasio expressa invenitur. Ac inprimis contemplare modum agendi conciliorum christianorum. Non aliis rationibus fidem asseruerunt, nec aliis armis eam contra haereticos propugnarunt, quam provocatione ad testes doctoresque praecedentes. Satis sit commemorare, quod scribit Athanasius de decreto syn. nic. n. 27: „Ecce nos demonstramus, istiusmodi sententiam a Patribus ad Patres quasi per manus traditam esse. Vos autem novi Judaei et discipuli Caiphae, quos verborum vestrorum patres ac majores demonstrabitis, quum ne unum quidem ex prudentibus aut doctis in auctorem citare possitis. Considera deinde agendi modum, quo singuli in suis disputationibus contra heterodoxos usi sunt. Idem nempe est, qui fuit conciliorum. Contra gnosticos eo usi sunt *Irenaeus* et *Tertullianus*, contra Novatianos *Cyprianus* ep. 52, contra Arianos *Athanasius* saepe, *Basilius* ep. 204; contra Appollinaristas *Gregorius Nazianzenus* ep. 1. ad Cledon., et contra alios alii (cf. *Augustinum* cont. epist. fund. c. 5; cont. Julian. l. 1. c. 5. sq.; de praed. Sanct. c. 27; de dono persever. c. 51. sq.; *Epiphanium* haer. 75. 78; *Hieronymum* ep. 126; dial. cont. Lucif.; *Originem* in Matth. tom. 29; *Basilium* cont. Eunom. l. 1; de Spir. S. c. 29; *Theodoretum* ad calcem trium dialog.; Cassianum de incarn. l. 1). Omnium ea erat sententia, quam indicat *Fulgentius* de Trin. ad Felicem Notarium l. 1, illam scilicet fidem sincerissimam mente tenendam esse, quae usque nunc per successionum seriem in cathedra Petri Romae vel Antiochae, in cathedra Marci Alexandriae, Johannis Ephesi, Jacobi Hierosolymae ab Episcopis illarum urbium praedicetur; cogendos proinde esse arianos, donatistas, aliasque omnes haeresum pestes, ut his communicent ecclesiis, et tum, quoniam hac communicatione sigillum veritatis adipiscantur,

suscipiendos esse. Eodem denique spectat, quod de origine et propagatione ecclesiarum refert historia.

Ex his jam perspicitur, quodnam judicium faciendum sit de sententia, quam suam voluit esse *Lessing*, et post ipsum *Delbrück*, principium formale a nobis expositum viguisse quidem aetate antenicaena, postnicaena autem aliud ejus locum occupasse. Temporibus nempe postnicaenis Patres sacram scripturam habuisse infallibilem et omnino inspiratam, eamque censuisse unicam christianae doctrinae et cognitionis normam; ex ipsa universas deduxisse et demonstrasse veritates fundamentales ac symbolum spectasse tantum ut summam doctrinae ex scriptura depromptam.

Falso falsius primo est, quod illi innuunt, ecclesiam antenicaenam scripturam non eadem, quam postnicaena, veneratione prosequutam esse. Certe nemo sublimius de divina origine, perfectione et altitudine scripturarum loquutus est, quam Irenaeus, Clemens Alexandrinus et Origines.

Deinde a priori incredibile est, ecclesiam postnicaenam aliud et oppositum adoptasse principium formale, quam antenicaena. Qui namque eam habet Ecclesiae christianae notionem, quam tenuis historiae ecclesiasticae notitia parit, is cogitur approbare haec Vincentii Lirinensis commonit. c. 32: „Christi vero Ecclesia, sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his umquam permutat, nihil minuit, nihil addit: non amputat necessaria, non apponit superflua; non amittit sua, non usurpat aliena, sed omni industria hoc unum studet, ut vetera fideliter sapienterque tractando, si quae sunt illa antiquitus informata et inchoata, accuret et poliat. . . .“ Num igitur arbitrabimur, Ecclesiam, quae adeo sollicita erat, ut intacta singula dogmata fidei servarentur, ipsum principium fidei et fundamentum propriae existentiae mutasse? Si antenicaena Ecclesia scripturae interpretationem ab Apostolica traditione, in Ecclesiae magisterio vivente dependentem uno ore docuit, num putabimus,

postnicaenam eandem privato judicio et arbitrio voluisse commissam, maxime quod in dies crescentem videret abusum scripturae et auctas difficultates, quas vera et legitima interpretatio habet?

Sed quod caput est, ipsa historia contra illam sententiam aperte repugnat. Quod confirmabimus testimonio minime suspecto viri protestantis Münscher (Dogmengeschichte B. 3. S. 132): „Etiamsi nulla suppeterent diserta testimonia de auctoritate et usu traditionis, ejus tamen vis in dogmata judici incorrupto multis indiciis se proderet. Undenam secus sollicitudo Doctorum in quavis sententia, imo in quovis termino theologico suspicionem novitatis amovendi? Quae alia assignari potest causa, quod Episcopi, synodi et symbola adeo saepe et expresse protestentur, aliam se proponere nolle fidem, quam acceptam a sanctis piisque antecessoribus? Undenam summum studium in controversiis fidei propriam sententiam nube testimoniorum antiquiorum muniendi, et oppositam novitatis arguendi? Eccur tantam in conciliis operam contulerunt in colligenda testimonia vetustiorum scriptorum, ut secundum haec decernerent ac judicarent? Cur tantopere curae omnibus erat, ut adversariis quodvis testimonium antiquitatis, quod ipsis favebat, eriperent, licet id sine affectatione et morositate (Künstelei!) fieri non posset? Haec omnia demonstrant, tamquam criterium verae doctrinae, ut Athanasius de decret. syn. nic. n. 4. loquitur, habitam esse consensionem cum majoribus.“ Certe non nisi evidentissima testimonia hanc ab homine protestante confessionem exprimere poterant. Quadam eorum accipe. *Athanasius* orat. 1. cont. Arian. n. 8. provocatione ad scripturas quaestionem apodictice dirimi non posse, scribit, quum non Judaei tantum et Manichaei, sed etiam diabolus ad scripturas se recipiant. Cui dicto simile est hoc *Hieronymi* in dialogo cont. Lucifer.: „Nec sibi blandiantur, si de scripturarum capitulis videntur sibi affirmare, quod dicunt, quum et diabolus de scriptura aliqua sit loquutus, et scripturae non in legendo consistant, sed

in intelligendo.“ Ac denuo Athanasius in epist. 3. ad Epictet. satis esse docet ad ostendendum, aliquam doctrinam esse haereticam, si ea cum fide catholicae Ecclesiae et Patrum doctrina non consentire monstretur. Cujus et haec sunt in epist. 1. ad Serapionem: „Verumtamen, inquit adductis biblicis pro divinitate Spiritus sancti argumentis, haud abs re fuerit veterem insuper traditionem doctrinamque, ac fidem catholicae Ecclesiae investigare, quam scilicet Dominus tradidit, Apostoli praedicavere, et Patres servavere. In ea enim Ecclesia fundata est, a qua si quis exciderit, is nec esse nec amplius dici Christianus ulla ratione poterit.“ Et *Gregorius Nyssenus* cont. Eunom. l. 3. confidenter statuit, ad demonstrandam nostram doctrinam sufficere, Patrum traditionem considerare, quae velut haereditas ab Apostolis per succedentes ipsis sanctos ad nos pervenerit (cf. *Basilium* cont. Eunom. l. 2. n. 8; *Epiphanium* in haer. 51. n. 32; in ancorat. n. 63. 64. 83. 120; *Cyrillum Alexandrinum* ep. 34: *Hieronymum* in cap. 5. Amos prophetam; *Augustinum* de bapt. l. 2. c. 7; *Chrysostomum* in II. Thess. hom. 4. n. 2, et alios supra jam fere citatos.).

Thesis V. Scripturis ac universali christianae societatis persuasione constat, testes, quibus ministerium fidei propagandae et conservandae commissum est, esse plane determinatos; eos scilicet solos in authenticorum testium numerum referri, qui in christianis monumentis, quum aliis, tum potissimum nominibus Apostolorum, Episcoporum, Praepositorum, Pastorum Doctorumque ornantur.

Dem. part. I. Colligitur haec pars ex testimoniis, quibus ad praecedentes tres theses demonstrandas usi sumus. Addimus ex scripturis hoc argumentum: Ii soli authenticorum testium numero comprehenduntur, qui legitimam ad id muneris missionem habent. Huc faciunt, quae leguntur Matth. 9. 37, 38; 10. 1—9; Rom. 10. 13.

sq.: et Act. 1. 24. Ita autem si res habet, apertum est, testes, quibus munus praedicandi et authentice annuntiandi Evangelium commissum est, plane determinatos esse.

Dem. part. II. Ut seponamus nomen Apostolorum, testes illos *Pastores* invenis nominatos Act. 20. 28; I. Pet. 5. 4; Ephes. 4. 11; *Doctores* vero I. Cor. 12. 28, 29; Ephes. 4. 11; I. Tim. 2. 7; 3. 2; II. Tim. 2. 2, 14, 15; Tit. 1. 9; *Episcopos* deinde Act. 20. 28; I. Tim. 3. 2; Tit. 1. 7; *Praepositos* denique Heb. 13. 7, 17, 24. De persuasione christiani nominis non est cur dicamus, quum in singulis fere paginis christianorum monumentorum testes, de quibus sermo est, istis nominibus insignitos reperias.

Thesis VI. Hi porro testes simul spectati ea excellunt praerogativa, ut in fide probanda et propaganda citra errorem erroris-que periculum contestentur.

Dem. Conficitur haec thesis, sive testium seriem philosophice, sive eam theologice, sive eam historice contempleris. Prima ejus consideratio sit *philosophica.* Series testium est *norma plena et perfecta credendi;* ipsorum *testificatio est medium sufficiens fidei;* ipsi *auctoritate pollent, a qua recedere nefas est;* iidem *fidem faciunt non evidentia rei, quam proponunt, nec scientifica ejus demonstratione, sed sola auctoritate.* Cum his vero consertum est, ut existimandi sint tum ab errore, tum ab erroris periculo exempti.

Sequatur *theologica* consideratio. Uno intuitu si seriem testium spectas, ea excedit quascumque, quas concipere vales, humanas series; a *θεανθρώπῳ* enim exordium capit ipsique tamquam fundamento innititur; titulo missionis cum Christo nexae ipse propemodum Apostolatus Christi convenit, ac legatione pro Christo fungens ipsum propemodum Magisterium Christi continuat. Atqui re-

pugnat, hujusmodi seriei testium non convenire infallibilitatem.

Verum singulos etiam considera annulos, qui seriem constituunt. Primum habet Christum, qui est ipsa Veritas. Secundum Apostolos, plenos Spiritu sancto omnia eis suggerente, quae a Christo audierant, eosque in omnem veritatem inducente. Tertium denique successores Apostolorum, ad quos in unitate consideratos pertinent effata Christi Matth. 28. 18—20; Joh. 15. 26. 27; 16. 13; 14. 16. Haec namque non ad Apostolos solum personaliter spectatos, sed ad eos referuntur, ut perpetuam suorum successorum seriem repraesentabant, quum tantum ratione muneris ac ministerii sui usque ad consummationem saeculi maneant. Verum duplex distinguendum est munus et ministerium Apostolorum, alterum *personale et extraordinarium*, alterum *reale et ordinarium*. Quare, quum non illius, sed hujus ratione in successoribus suis Apostoli maneant, effata illa Christi, ut ad successores Apostolorum seu ad Apostolos, quatenus successorum suorum personam gerebant, pertinent, ad eos referuntur ratione muneris realis et ordinarii, non autem ratione muneris personalis et extraordinarii. Non ideo tamen putandum est, eodem illa modo ad Apostolos successorum personam agentes, et ad ipsos successores referri. Quum enim illi utrumque ministerium, extraordinarium nempe et ordinarium in unitate subjecti complecterentur, ea ipsa, quae ratione ministerii ordinarii iis tribuuntur, nobiliori et excellentiori modo iis conveniunt, quam eorum successoribus.

Quid vero ad personale et extraordinarium, quid ad reale et ordinarium Apostolorum ministerium spectet, definiri a priori non potest, sed ex analogia fidei constituendum est. Ad rem praesentem quod attinet, tria in Apostolis deprehendimus. Primo Apostoli revelationem immediate a Christo acceperunt, et organa fuerunt authentica novarum revelationum, quibus depositum fidei complebatur. Deinde singuli Apostoli a Christo ornati erant auctoritate testium, doctorum et custodum fidei pro uni

versa Ecclesia. Denique omnibus in unitate cum Petro collata erat eadem auctoritas pro universa Ecclesia.

Jam vero analogia fidei demonstrat, primum fuisse omnino personale. Quod, quum alio in loco luculentius exponendum sit, ex illis nunc testimoniis inferre satis sit, quibus docemur, Apostolos per Christum et Spiritum sanctum accipere omnem veritatem generi humano communicandam ab eoque credendam, adeo ut omnes credentes per verbum Apostolorum in Christum crediturі sint (Joh. l. c. et 17. 17, 20.); successoribus autem Apostolorum unum hoc incumbere, ut doctrinam revelatam ab Apostolis acceptam custodiant et custoditam aliis tradant (I. Tim. 4. 5; II. Tim. 1. 13; 3. 10, 14; II. Thess. 2. 15; Coloss. 2. 7. et alibi.). Hinc firmiter persuasum omnibus Christianis semper fuit, nullam doctrinam non apostolicam ad revelationis catholicae depositum spectare posse.

Idem de altero, quod adduximus, analogia fidei continet. Docet scilicet, in omnibus Apostolis, uno excepto, auctoritatem testis, doctoris et pastoris pro universa Ecclesia, fuisse personalem et extraordinariam. Nullius enim Apostoli, uno semper excepto, successor auctoritatem in universam Ecclesiam nactus est, sed singuli in partem duntaxat Ecclesiae jus pascendi obtinuerunt, altiori juri pascendi obnoxium. Jam Apostolos vides constituentes episcopos per singulas civitates (Act. 14. 22.) aut audis jubentes constitui (Tit. 1. 5, 7.), et admonentes episcopos de munere pascendi, non universam Ecclesiam, sed partem ipsis commissam (I. Pet. 5. 1. sq. coll. Act. 20. 28.).

Quare solum tertium, quod in Apostolis fuit, reale et ordinarium est, ita ut id, quod Apostolis in sua unitate et unione cum Petro, ut nempe unum constituunt corpus, Christus dixit et promisit, ad successores Apostolorum, ut et hi unum constituunt corpus, pertineat.

Restat consideratio *historica*. Historia nempe docemur, hanc fuisse semper fidelium persuasionem, tamquam ethnicos et publicanos aestimandos esse omnes, qui fidem

suam non ad normam testium authenticorum exegerint: supremum deinde veritatis sigillum, quo, quod divinae revelationis est, ab eo secernitur, quod humanae inventionis est, custodiae authenticorum testium esse commissum. Cui persuasioni semper, historia item teste, usus et exercitatio respondit. Iis namque omnibus anathema dictum fuit, qui praeordinatis testibus minime acquiescerent: controversiae, si quae exortae sunt, provocatione ad testes et per testes diremptae fuerunt; fides tantum per testes propagata fuit, adeo ut hi, credibilitatis motivis exhibitis, praedicationi suae plenam fidem adhibendam esse exegerint. Itaque persuasione societatis christianae, judicio tam theoretico quam practico expressa, fixum ratumque habendum est, exhibitam a nobis testium seriem ab errore errorisque periculo immunem esse. Nequit vero unanimis christiani nominis persuasio a veritate esse aliena.

Thesis VII. Doctrina protestantium de principio formali fidei objectivae, spectatis argumentis, quibus fulcire eam conantur, quovis fundamento caret.

Dem. Primum argumentum ita fere habet: Apostoli doctrinam Salvatoris communicarunt et propagarunt, primum quidem ore, deinde etiam scripto. Simulac igitur scripturae plene confectae et collectae erant, eae, in locum praedicationis successerunt.

At hoc argumentum multiplici ex capite plane nullum est. Primo quidem, quia consequentia destituitur, quum nihil ostendat, conciliari inter se non posse existentiam scripturae et necessitatem propagationis et conservationis fidei per testes authenticos. Secundo autem, quia probatum a nobis est, factum exaratarum scripturarum non posse esse insociabile cum propagatione et conservatione fidei per testes authenticos. Nam haec Christo volente

est perpetua, atque utpote fundamentalis lex oeconomiae ab ipso institutae, immutabilis. Apostoli deinde istum modum propagandi fidem ita adhibuerunt, ut in eo exercendo se proprium suum munus praecepto Domini impositum implere declaraverint, ut idem munus gravissimis verbis iis injunxerint, quos Episcopos constituerant, eosque monuerint, ut aliis illud denuo imponerent. Christiana denique societas et antenicaena et postnicaena eundem propagandae conservandaeque fidei modum tum theoretice tum practice ut divinitus institutum agnovit, alium vero ab hoc diversum penitus ignoravit. Accedit tertium caput, quod nempe protestantes, suis principiis si stare velint, nullam probationem habeant, qua liqueat, scripturas necessario successisse in locum testificationis et praedicationis authenticae. Petenda enim ea foret ex ipsis divinis litteris. Quo igitur testimonio biblico conficient, eo consilio Evangelistas et Apostolos scripsisse, ut totam omnes christianam fidem independenter a quavis externa norma haurirent, aut saltem Spiritus sancti ductu factum esse, ut illi, nil tale cogitantes rem ita disposuerint, ut totam fidem singuli sibi ex eorum libris colligere et possent et deberent? Quid vero si contrarium potius tum ex historica origine librorum sacrorum tum ex disertis eorum testimoniis constet? Atqui constat. Profecto factum est, quod impugnari non potest, libros novi testimenti esse libros data occasione scriptos, ob particularem aliquam necessitatem ad particulare institutum confectos, eorum plerosque ad particulares ecclesias vel personas directos esse, et rerum, personarum ac temporum adjunctis plane respondere. Hinc in nullo horum librorum vel levissimum apparet indicium, scriptori id propositum fuisse, ut integram christianam doctrinam litteris consignaret. Hinc singulos deprehendis multa eaque gravissima doctrinae capita ne attingere quidem, saepe fuse de secundariis agere, et principalia aut paucis tractare aut tantum innuere. Ipsos protestantes habemus non paucos id fatentes (cf. De Wette comment. in epist. ad Rom. p. 2; intro-

duct. in nov. test. § 60; Knapp praelect. de doctrina fid. christ. secundum formulam eccl. evang. tom. 1. p. 101. sq.). Testimonia autem diserta occurrunt Rom. 16. 17; I. Cor. 11. 2, 16, 34; Gal. 1. 8; Coloss. 2. 6, 7; II. Thess. 2. 15; I. Tim. 6. 20; II. Tim. 2. 2. et alibi.

Alterum argumentum cum primo connexum petunt ex scripturarum plenitudine et sufficientia. Iisdem fere rationum momentis hoc argumentum refutatur, quae contra primum adduximus. Consideratis novi testamenti scripturis evidens cuivis est, eas nullatenus aliquod unum totum esse, data opera certoque consilio confectum, sed eas esse collectionem quandam librorum a diversis auctoribus conscriptorum, qui eos (exceptis forte partim libris historicis) quisque per se et privato suo consilio composuerunt, quorumque nullus eum animum habuit, ut suam ad totam doctrinam scripto comprehendendam partem conferret. Imo ne unius quidem ejusdemque auctoris libri rationem habent totius cujusdam systematici, sed collectio quaedam sunt librorum in artis formam minime redacta. Praeterea doctrinam christianam Christus per omnes suos Apostolos mundo annuntiatam voluit. Si igitur Christo instituente ea posteritati scriptis libris communicanda erat, cur non omnes Apostoli scripserunt, cur alii nonnisi singulares et paucissima continentes epistolas exararunt, et cur Paulus non plures texuit epistolas? Respondere ad has quaestiones protestantes nequeunt, ut nec explicare, quod continuo ad suam praedicationem scriptores isti, maxime Paulus provocent: *Tenete traditiones, quas accepistis — Si praedicavimus, et sic credidistis — Non alia scribimus vobis, quam quae cognovistis — Si quis vobis evangelizaverit praeterquam quod accepistis — Quae et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, haec agite — Sicut accepistis, sicut didicistis — Scitis quae praecepta dederim vobis — Tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam — Quae a me audisti per multos testes, haec commenda.*

Verum data, non concessa scripturarum plenitudine,

non ideo earum quoque sufficientia data et concessa est. Hanc vero maxime protestantes affirmare coguntur, ne inutiles sint omnes eorum conatus ad plenitudinem scripturarum probandam. Sit enim tanta, quantam volunt, scripturarum plenitudo, nihil ea protestantes ad vindicandum principium formale fidei ipsis proprium juvat, nisi simul istis sufficientiam convenire effectum sit.

Provocant protestantes ad quaedam dicta sanctorum Patrum, quibus vel divinam scripturam ejusque auctoritatem et praestantiae nec non doctrinae, quam continet, profunditatem laudant, vel scripturarum plenitudinem et sufficientiam extollunt. Quod ad laudes illas attinet, neminem invenient Catholicorum, qui promptus non sit ad eas repetendas et novis encomiis augendas. Quod vero ad plenitudinem sufficientiamque scripturarum a sanctis Patribus quandoque celebratam spectat, ne unus quidem ipsorum est, qui eam sensu protestantium intellexerit. Nota igitur primo, aliud esse plenitudinem et sufficientiam, quam protestantes propugnant; aliud *plenitudinem et sufficientiam objectivam,* de qua unice sancti Patres agunt. Nota secundo, aliud esse plenitudinem et sufficientiam objectivam *simpliciter*, aliud plenitudinem et sufficientiam objectivam *secundum quid,* quam unice Patres ob oculos habent. Nota tertio, aliud esse plenitudinem et sufficientiam scripturae simpliciter *thetice* affirmare, ad exclusionem omnis doctrinae non scriptae, aliud eam *polemice* asserere, ad exclusionem fontium spuriorum, commentorum humanorum, argumentationumque captiosarum, ut nempe ad scripturas tota cum haereticis disputatio revocetur.

Sic *Augustinum* citant de doct. christ. l. 2. c. 9; „In iis, quae aperte in scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia, quae continent fidem moresque vivendi; spem scilicet atque caritatem, de quibus libro superiore tractavimus.“ Sed nomine *fidei* non omnia Augustinus revelata intelligit, sed ea tantum, quae symbolo comprehensa omnium explicita professione continentur: nomine *morum vivendi* non omnia moralia praecepta, sed aeternorum

bonorum spem ac dilectionem Dei et proximi universim intelligit. Ad haec autem ex scripturis perspicienda praesupponit magisterium authenticum Ecclesiae et institutionem ab eo acceptam. In eo enim secundus iste liber versatur, ut Christianus evehatur ad eam scientiam, quae fidem sequitur. Ad hanc scientiam comparandam necessarium esse docet, ut primo quidem a magisterio Ecclesiae libri divini suscipiantur, deinde generalis quaedam eorum, quae continent, notitia comparetur, ac denique, quae aperte posita sunt, diligentius excutiantur, quae vero obscura sunt, aperiantur. His vero quid commune est cum principio formali protestantium?

Nec aliter dicendum est de *Chrysostomi* effato in hom. 3. in II. Thess.: „Quid opus est homilia? Omnia sunt clara et recta, quae sunt in divinis litteris; manifesta sunt, quaecumque sunt necessaria.“ In eo scilicet est Chrysostomus, ut auditores moneat, ne ad solum oratorem audiendum in Ecclesiam conveniant, sed etiam, quum lectio scripturarum peragitur, praesentes sint. Ad eos proinde verba facit, qui magisterio Ecclesiae fide instructi jam erant, unumque hoc docet, posse ipsos ex audita scripturae lectione, non modicum capere fructum; quum quae necessaria ad hunc finem sint, manifesta sint. Hinc objectioni: „At nescio, quae sita sunt in divinis scripturis.“ reponit S. Doctor. „Quare? num enim hebraica, num romana, num alia lingua dicta sunt? annon graece dicuntur? Sed obscure, inquit. Quaenam ea obscuritas, dic quaeso? annon sunt historiae? Nosti, quae sunt clara et dilucida, ut de iis, quae sunt obscura perconteris.“ Itaque nec Chrysostomus quidquam protestantes juvat. Sed quid ad haec, quae leguntur hom. 4. in eandem epistolam: „Hinc est perspicuum, quod non omnia tradiderunt per epistolam, sed multa etiam sine scriptis; et ea quoque, non minus, quam ista, sunt fide digna. Quare traditionem quoque Ecclesiae censeamus fide dignam. Est traditio; noli ultra quid quarere?“

Quum allegant *Hieronymum* in Aggaei 1. 11. statuentem,

quod absque auctoritate et testimoniis scripturarum, quasi traditione apostolica sponte reperiant atque confingant, „id percutere gladium Dei“, oblivioni dant, de conciliabulis haereticorum loqui Hieronymum, et scripturam solam nominare ad excludendas confictas traditiones.

Originem quum addunt hom. 5. in Levit. affirmantem, duo testamenta sufficere, „ex quibus liceat omnem rerum scientiam capi, et nullam aliam tertiam scripturam debere ad auctoritatem scientiae suscipi,“ nihil agunt, quum Origines evidenter tantum de sufficientia scripturae ut instrumenti doctrinae ad exclusionem librorum apocryphorum agat.

Basilius vero, quum orat. de fide n. 1. 2. infidelitatis argumentum esse dicit, aliquid velle superinducere eorum, quae non sunt scripta, ipse declarat, intelligi se velle de iis, quae Domini doctrinae non sunt consentanea ab eaque aliena.

Sed haec sufficiant; plura qui desiderat, adeat Bellarminum de verbo Dei l. 4. c. 11; Wirceburg. de tradit. n. 67, 69, 71. aliosque.

Sequitur tertium argumentum. Postquam protestantes notarunt, traditionem, consideratam ut medium propagandae conservandaeque fidei, saltem superfluam esse, quum nihil Apostoli ore communicaverint, quod scriptum non sit, eam universim ejusmodi medium esse non posse, inde efficere conantur, quod traditio, quae ore transigitur, natura sua multis falsationibus exposita sit, ac labente tempore erroribus vel certe admixtione alienorum inficiatur (cf. Neander Dogmengeschichte B. 1. S. 76; et Twesten Vorlesungen B. 1. S. 288).

Verum primo falso protestantes traditionem animo sibi fingunt acervi cujusdam instar variarum propositionum, quae sola memoria retineantur ac propagentur. Sicut aliquot Apostolorum, quamvis proprium ipsorum munus et ministerium in eo esset, ut praedicationis auctoritate et magisterio vivente et authentico fidem propagarent et conservarent, attamen sub Spiritus sancti ductu et inspi-

ratione christianam doctrinam partim libris scriptis in subsidium viventis magisterii comprehenderunt, ita successores quoque Apostolorum, licet proprium ipsorum, Christo ita volente, munus esset, vivente suo magisterio christianam doctrinam propagare et conservare, nihilominus ex ipsis rerum naturis et suavi Spiritus sancti dispositione factum est, ut traditam sibi doctrinam pro rerum, personarum temporumque adjunctis libris aliisque monumentis consignarent, quae viventi magisterio subsidio praedicationis sunt. Norunt siquidem omnes, Spiritum sanctum non per continuam immediatam revelationem, fidei custodibus nihil agentibus, fidei depositum conservare, sed custodibus depositi tantum praebere assistentiam dirigentem, adjuvantem, ac ab errore praeservantem, ideoque operam humanam requiri, quae sit velut elementum visibile a charismate invisibili informatum.

Ad hanc vero operam humanam, quae sub directione Spiritus sancti posita est, pertinet, ut documentis et monumentis integritati et perpetuitati doctrinae consulatur. Quod eo vel magis fatendum tibi est, quo certius est, magisterium vivens, quum sola assistentia Spiritus sancti fruatur, frequenter adigi, ut, quae fuerit christianae antiquitatis fides et professio, inquirat. Quae inquisitio institui directe non posset, nisi documenta et monumenta praesto essent, quibus antiquitatis fides et professio expressa esset. Illa itaque res sunt cum magisterio vivente et authentico vinculo maxime intimo connexa. Merito nempe dicimus, magisterium esse rem a Deo institutam, conservationem praedicationis praecedentis per documenta et monumenta esse modum aliquem, rem a Deo institutam consequentem; illud ex institutione Dei esse simpliciter necessarium et essentiale, hanc vero suavi providentia divina depositam et magisterio datam eo consilio esse, ut rite ac facile exerceri valeat, eamque ad hoc non secus se habere, quam instrumentum inanime doctrinae ad doctorem viventem.

Praeterea imprudenter protestantes facti obliviscuntur,

quod splendide historia ecclesiastica demonstratur, tam ecclesiam integram, quam singula ejus membra sacrosanctae legis instar habuisse, acceptis et traditis veritatibus, ut tales sunt, firmiter inhaerendum esse, ac idem esse ab iis recedere, quam ab Apostolica doctrina deficere. Quod Timotheum Paulus admonuerat: *Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates*, id omnibus dictum esse universi censuerunt. „Nobis nihil ex nostro arbitrio inducere licet, inquit *Tertullianus* de praescript. c. 6, sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio quod inducerent, elegerunt, sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus assignaverunt.“ Hinc illud Coelestini I. ep. 21: „Desinat incessere novitas vetustatem“, et illud Xysti III. ep. 6: „Nihil liceat novitati, quia nihil adjici convenit vetustati.“ (Cf. *Basilium* ep. 140; *Hilarium* de Trin. l. 4. c. 14; *Augustinum* cont. Julian. l. 2. n. 14; *Vincentium Lirin.* c. 9. 12. 25. 27. et penultimo, aliosque innumeros). Jam vero hic si erat sensus christianae societatis, prudens aestimari dubitatio de sinceritate traditionis non potest.

Denique inepte protestantes missum faciunt id, quod potissimum in traditione christiana est, nempe promissionem Christi, se cum magisterio ab ipso instituto usque ad consummationem saeculi futurum, ac Spiritum veritatis ei daturum, qui cum eo usque in aeternum mansurus sit.

Jam ad quartum argumentum accedimus. Auctoritas, inquiunt, quam sibi in singulos catholica Ecclesia adscribit, quum munus veritatem christianam docendi ideoque etiam scripturas authentice ennarrandi sibi arrogat, conjuncta est cum conatu, absolutam verbi divini auctoritatem humanae auctoritati subjiciendi. Quam aliter res in protestantismo habet! Non est utique opera, quam singuli singillatim praestare debeant et valeant, ut christianam veritatem sibi approprient, quum id faciendum sit mutua communicatione et collatione eo usque conti-

nuanda, quousque eadem sit perfectio cognitionis omnium, attamen quoad ipsam revelationem ejusque in scripturis expressionem secundum protestantes universi tantum rationem recipientium habent, omnes revelationem normam agnoscunt, ac nemo prorsus est, qui in eam auctoritate se pollere putet.

Verum primo falsum est, umquam Ecclesiam auctoritatem in ipsum verbum Dei sibi vindicasse; quod sibi adscripsit, nihil aliud est, quam auctoritas divinitus collata verbum Dei acceptum et receptum singulis hominibus communicandi. Non secus Ecclesia, quam singuli fideles, verbum Dei agnoscit normam, quam sequatur: auctoritate enim non propria, sed a Christo data affirmat tantum veritatem acceptam et traditam, non propria humanaque virtute nixa, sed virtute Spiritus sancti, cujus est immediatum organum, suffulta. Hinc Ecclesia a fidelibus unum hoc exigit, ut quae ab ipsa ut divinitus revelata proponuntur, ea reipsa talia esse credant, quod scilicet semet sciat organum a Christo institutum, et assistentia Spiritus sancti donatum, ad revelatam doctrinam propagandam et conservandam. Itaque Ecclesia se subjicit verbo Dei Deique Spiritui, et hanc solam sibi tribuit dignitatem, quae est ministri fidelis verbi Dei et organi Spiritui sancto obedientis. Fideles vero sibi subjicit seu potius subjectos sibi habet voluntate ejus, qui Ecclesiam audiendam esse praecepit, eamque constituit ducem et magistram fidei, indutam virtute Spiritus sancti, per quem apud eam et cum ea ipse est usque ad consummationem saeculi.

Quare non in eo a protestantibus catholici differunt, quod, illis nullam in verbum Dei auctoritatem agnoscentibus, hi eam agnoscant, sed in eo, quod quum de verbo Dei propagando, conservando explicandoque agitur, catholici admittant auctoritatem objectivam, Ecclesiam munere docendi et tradendi veritatem revelatam a Christo institutam, protestantes vero, rejecta quavis auctoritate objectiva proindeque repudiata omni traditione, subjectivam

tantum admittant, rationem nempe individualem, unicam scripturae interpretem. Nonne vero hac sententia posita protestantes id agunt, quod catholicis objiciunt, scilicet verbum Dei humano ac fallibili obnoxium faciunt judicio?

Cum examinato protestantium argumento cohaeret hoc aliud, nempe secundum catholicorum doctrinam Ecclesiam mediam sese ponere inter nos et Christum, ac impedimento esse immediatae nostrae cum Christo unioni. Schleiermacher (Der christliche Glaube B. 1. S. 145.) arbitratur, differentiam inter principium catholicum et principium protestanticum formula comprehendi, quod protestantes respectum singulorum ad ecclesiam dependentem statuant ab eorum ad Christum respectu; catholici contra hunc ab illo dependentem velint. Eodem redit, quod scribit Twesten (l. c. S. 74 u. 112.), testimonii Irenaei: „Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia," primam partem exhibere principium catholicorum, qui unitatem cum Christo posthabent unitati cum Ecclesia; alteram vero partem repraesentare principium protestantium, qui unitatem cum ecclesia subjiciunt unitati cum Christo et Evangelio.

At, ne dicamus, dicto Irenaei, ad quod Twesten provocat, refutari immediatum eum, quem protestantes sibi confingunt, ad Christum respectum, inprimis patet, ne protestantes quidem hunc respectum tueri posse, nisi ad castra Enthusiastarum transire velint. Instrumentum enim et medium admittunt, quo Spiritus sanctus singulos cum Christo et Deo uniat, nimirum verbum Dei vocale in concione et sacramento. In eo versatur totum discrimen inter catholicos et protestantes, quod his scriptura in manu ministri, illis vero visibilis a Christo instituta Ecclesia medium sit, quo Spiritus sanctus fidem et gratiam in hominibus operatur.

Sed et illud sane gravissimum notandum est, protestantes illud argumentum contra catholicos adhibentes, non solum perinde habere terminum ac viam, quae ad

terminum ducit, finem et media, quibus obtinetur, quae externa sunt et quae sunt interna, sed etiam intolerabili paralogismo ex eo, quod unio cum Ecclesia a catholicis ad unionem cum Christo necessaria affirmatur, inferunt principium catholicum unitatem cum Christo opponere unitati cum Ecclesia.

In extremis hoc adhuc monere liceat, protestantismum primam suam originem non debere principio de sola scriptura, sed ad hoc principium statuendum deinceps adactum esse, ut defectionem ab Ecclesia et doctrinam catholicae fidei oppositam tueri valerent ejus asseclae. Quum rebellioni contra Ecclesiam initium deformatores religionis christianae darent, principiis regebantur principiis catholicorum affinibus, nisi quod locum ecclesiae et auctoritatis ecclesiasticae ipsi occuparent, et locum traditionis ecclesiasticae sumptioni illi, quam biblicam affirmabant, de justificatione impii per solam fidem darent. Compertum est, Lutherum ab hac sumptione non tantum scripturae interpretationem, sed ipsam quoque de canone quaestionem voluisse dependentem. Imo nunc quoque theologi protestantes orthodoxi (cf. Neander Dogmengeschichte B. 2. S. 213. ff.) cum emphasi docent, essentiam principii protestantici non plene exhiberi quum dicitur, christianam veritatem ex sola scriptura depromendam esse, sed illud includere quasdam persuasiones christianas ut sumptionem quandam et necessarium fundamentum. Sed num fieri potest, ut cum principio de sola scriptura aliud componatur principium velut materiale? Scilicet jure illis contradixerunt Sociniani, et jure contradicunt Rationalistae. Nam istae sumptiones ex scripturis, adhibito principio de sola scriptura desumptae essent, simulque forent regula et norma cujusvis interpretationis scripturarum, ideoque haberetur aperta petitio principii. Ac certe, sicut quidam, adhibito illo principio, ex scripturis positiones illas colligunt, ita alii, eodem adhibito, impugnare eas valent.

Thesis VIII. Ut doctrina protestantium in se considerata falsa est, ita natura sua perennis fons est gravissimorum cujusvis generis errorum.

Dem. Expendantur sedulo, quae huc spectantia ex ordine proferimus. Primo doctrina protestantium, ut monstrant, quae supra disputavimus, repugnat cum principio formali fidei objectivae, quod unice scripturis et universali christiani nominis persuasione innixum deprehendimus.

Secundo doctrina protestantium de principio formali fidei perspicue pugnantia continet. Haec enim ad illam constituendam momenta concurrunt: adaequatum fidei objectum scriptura comprehendi, adeo ut nihil credendum unquam sit, quod scripturae testimonio non probetur; libros, quos canone suo complectuntur, eosque solos esse sacros, ac genuinum verbum fidei suppeditare; singulos fideles esse interpretes sensus scripturae, et ita quidem, ut singulorum interpretatio norma sit, secundum quam dijudicanda sit alia quaevis interpretatio. Jam vero horum momentorum nullum ex divinis litteris demonstratum est, imo demonstrari potest.

Accedit, quod doctrina protestantium cum eorum fide pugnat. Illa namque salva, nihil credendum retinendumque eis esset, quod divinis litteris non constet. Atqui multa credunt protestantes, quae tamen scripta non sunt.

Praeterea, quum idem non sit possidere scripturam, et possidere veritatem divinam, Evangelium Christi veramque fidem, quum ad hoc necessarium sit, ut veritas, quae objective scripturis comprehenditur, in subjectum velut transeat, et subjective in mente sit, necesse est principium indicetur, quo ejusmodi transitus cum perfecta certitudine, quovis erroris periculo remoto, fiat. Porro tria dumtaxat principia excogitari possunt; scilicet magisterium authen-

ticum, ratio singulorum, immediata Spiritus sancti revelatio seu inspiratio, cujus singuli participes fiant.

Ut ab hoc tertio exordiamur, notum est, ipsum placuisse primis deformatoribus, ac deinde a posterioribus protestantium theologis receptum esse. Duobus modis inspiratio illa intelligi potest, vel ita, ut Spiritus sanctus immediate illuminet mentem hominis, et hic ejusmodi superno lumine instructus, accedens ad scripturas eas intelligat, vel ita, ut Spiritus sanctus mediante verbo scripto mentem illuminet, proindeque in scriptura hominem de ejus sensu instruat. Priorem modum elegerunt Enthusiastae, respuerunt et condemnarunt Lutherus et orthodoxi lutherani; quum parvipendat scripturam, Christianismum objectivum destruat, et intrinseca necessitate Rationalismo viam paret. Alterum igitur amplexus est Lutherus. Docuit nempe, Spiritum sanctum mystice cum scriptura esse unitum, ita ut non Ecclesia, sed scriptura sit sponsa Christi; esse vero hanc unionem magnum mysterium, vi cujus cuicumque sacram scripturam audienti aut legenti ipsa divina Veritas loquatur. Atque hinc scripturam propriissimo quodam sensu in se esse *verum verbum Dei*. Jam scriptura hoc modo spectata duplicem habet Luthero auctore efficientiam, alteram in mentem, qua fit, ut intelligatur, alteram in cor, seu in mentem et voluntatem simul, qua fit, ut homo regeneretur et renovetur. Recentiores in eo solum profecerunt, quod momentum ad scripturae intelligentiam in usu mediorum naturalium positum magis distincte et expresse proposuerunt. Quo aliud utique nihil obtinuerunt, quam ut aut Rationalismo aut Enthusiasmo aditum aperirent.

Si revera res ita se habet, quomodo explicantur igitur diversissimae et in ipsis dogmatibus capitalibus oppositae sententiae? quomodo factum est, quod verbum Dei, quamvis ab exordio Christianismi lectum auditumque sit, attamen nonnisi saeculo decimo sexto intellectum tandem fuerit? Quomodo praeterea accidit, quod inter illos ipsos,

qui primum proclamarunt principium de sola scriptura, reipsa nunquam consensio extiterit, quod continuo opiniones mutarint, et quod formula concordiae post infinitas altercationes aliquando tandem confecta novarum discordiarum fons evaserit?

Praeterea quaestioni satisfacere illi debent, quis nos de testimonio Spiritus sancti in scriptura reddat certos. Scilicet renuntiare isti sententiae suae coguntur, ac privatam rationem unicam sacrae scripturae interpretem constituere. Ipsa Logica protestantismum convertit in rationalismum (cf. *Krug* Philosophisches Gutachten in Sachen des Rationalismus und Supernaturalismus; *Röhr* Briefe über den Rationalismus S. 15; *Bretschneider* der St. Simonismus und das Christenthum; aliosque multos protestantes). Hinc unus ex Rationalistarum principibus, Paulus Tübingensis merito protestantismum affirmat consistere in fide propriae rationi adhibita. Profecto si privata ratio unica scripturae interpres esse asseritur, necesse est affirmetur, id solum censendum esse verum, quod illa sive in scripturis et de scripturis sive ex quocumque alio fonte intellexerit aut intelligere sibi visa sit verum esse. Hinc ratio necessario aestimanda est suprema et unica credendi norma, ideoque a religione removendum est, quidquid supercrationale et supernaturale est. Ipsae vero scripturae nullam habent normae vim, sed eatenus tantum valent, quatenus semetipsam in ea invenit ratio.

Praesenserunt haec consectaria protestantismi auctores, et intellexerunt, non alius spiritus posse esse interpretationem authenticam, quam ejus qui est auctor objecti enarrandi, atque ideo, quum scripturas opus Spiritus sancti crederent, proindeque authenticam earum interpretationem ab ipso exspectari oportere perspiceront, in absonam illam de mystica unione Spiritus sancti cum divina scriptura unione ejusque per divinam scripturam in singulas efficientia opinionem inciderunt. Scilicet oblivioni dederant, Spiritum sanctum a Christo promissum esse magisterio ab ipso instituto, ideoque neminem praeter

hoc magisterium Spiritum sanctum ad authentice enarrandas scripturas assistentem habere posse. Ipsa separatione ab Ecclesia a Spiritu sancto avellebantur deformatores et spiritui proprio humano tradebantur. Ex quo denuo intelligis, interna necessitate protestantismum transformari in rationalismum.

Tertium denique principium, magisterium nempe authenticum, protestantes agnoscere non posse, quin sibimetipsis renuntient, et propriam originem anathemate percellant, profecto evidens est.

Aliud adhuc est, quod cum principio formali fidei protestantium cohaeret. Ipso nimirum statuto, duae essentiales fidei proprietates, *universalitas* et *unitas*, fidei convenire non possunt. Tollit universalitatem, quia non alium relinquit modum objectum fidei proponendi, quam qui integrae revelationis cognitionem omnibus, et universim revelationis cognitionem talem, qualis necessaria ad fidem est, maximae hominum parti moraliter impossibilem reddit. Tollit unitatem, quia scriptura, singulorum inquisitioni commissa, tum propter indolem et difficultatem veritatum, quas continet, tum propter eorum, qui ea utuntur, summam varietatem tam ratione ingenii, cultus animi, eruditionis, quam ratione indolis, inclinationum, et cupiditatum fons fit sententiarum opinionumque non modo diversarum, sed etiam oppositarum. Notum est illud theologi protestantis, Samuelis Werenfels: „Hic liber est, in quo sua quaerit dogmata quisque, invenit et pariter dogmata quisque sua.“ Quae diximus, demonstrantur ipsa historia protestantismi, et protestantium (quorum plurima dicta affert auctor protestans operis: Beleuchtung der Vorurtheile wider die katholische Kirche. Aufl. 3. B. 1. S. 33. ff.) professione.

Verum non tantum proprietatibus fidei opponitur principium formale a protestantibus confictum, sed ipsi etiam fidei. Sane, quo constat et scripturae divinitas et sensus, quem ejus verbis subjicimus, sinceritas? Respon-

dent cum Calvino instit. l. 1. c. 4. protestantes: Arcano testimonio Spiritus sancti. Sed haec responsio, ut merito notat David Strauss (Glaubenslehre B. 1. S. 134.), sicut et quaevis alia, quam dare protestantes possunt, inducit perfectum subjectivismum, sive pseudo-mysticismi sive rationalismi formam is habeat. Atqui cum ejusmodi subjectivismo componi fides non potest, ut quae necessario subjectio est sub auctoritate infallibili (cf. Radowitz neue Gespräche I. S. 53.).

Caput II.

De traditione ac de praesidiis ad eam cognoscendam idoneis.

Thesis IX. Quae de principio formali fidei objectivae disputando constituimus demonstrant, traditioni perpetuam inesse rationem loci theologici.

Dem. Ostendimus, hanc divinitus institutam esse oeconomiam ad revelationem divinam propagandam conservandamque, ut per testes doctoresque authenticos verbum Dei propagetur et conservetur. Quare horum testimonium et doctrina objective spectata est ipsa revelatio divina seu verbum Dei objective consideratum. Atqui hoc verbum est sane locus theologicus. Nihil vero aliud nomine traditionis intelligimus, quam illud testimonium illamque doctrinam objective spectatam. Est igitur traditio evidenter locus theologicus. Probavimus vero praeterea, oeconomiam propagandae conservandaeque fidei per testes doctoresque authenticos, Deo volente, esse perpetuam. Ergo perpetua pariter est ratio loci theologici traditioni conveniens.

Atque haec numquam non fuit persuasio christianae societatis, quam animo insculptam manifestavit *didactice*, *historice* et *polemice*. *Didactice* quidem perspicuis effatis, cujusmodi sunt *Ignatii Martyris* apud Euseb. l. 3. c. 36; *Irenaei* l. c.; *Tertulliani* l. c.; *Clementis Alexandrini* l. c. et apud Euseb. l. 6. c. 13; *Originis* l. c. et apud Euseb.

l. 6. c. 25; *Athanasii* epist. festali 2. apud May nov. bibl. PP. tom. 6. p. 35; *Eusebii* cont. Marcell. l. 1. c. 1; *Epiphanii* haer. 61. et 55; *Chrysostomi* in II. Thess. hom. 4: *Basilii* de Spiritu s. c. 29; *Gregorii Nysseni* cont. Eunom. l. 3; *Cyrilli Alexandrini* in dial. de incarn; *Hieronymi* cont. Lucif. 3; *Augustini* de bapt. l. 5. c. 26; ipsius quoque *codicis Justiniani* l. 1. tit. 1,. et basilicarum l. 1. §. 8. Ex quibus, missis nunc Irenaeo et Tertulliano, quorum doctrinam plena supra exhibuimus disputatione. haec colligimus: *traditionem esse normam necessariam, ad quam fides sit exigenda, et cui nos inhaerere oporteat* (Ignatius Martyr., Polycarpus, Hegesippus sup. cit.): *traditionem seu praedicationem ecclesiasticam esse normam ita necesariam, ut ea sola credenda sit veritas, quae in nullo ab illa discordat* (Clemens Alexandrinus, Origines, Athanasius, Cyrillus Alexandrinus); *eandem esse regulam credendi ita sufficientem, ut nihil praeter eam requiratur* (Origines, Basilius, Gregorius Nyssenus, Epiphanius, Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus); *traditionem eadem reverentia suscipiendam esse, qua suscipitur scriptura* (Clemens Alexandrinus, Eusebius, Athanasius, Basilius, Epiphanius, Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus, Cyrillus Alexandrinus); *eandem normam praebere interpretandi scripturas, et ex ipsa auctoritatem scripturae pendere* (Clemens Alexandrinus, Origines, Eusebius, Athanasius, Epiphanius, Chrysostomus, Augustinus); *scripturam cum traditione cohaerere vinculo reali adeo intimo, ut veritatis regulam a veritate non habeant, qui scripturas accipiant a viva traditione ecclesiastica solutas* (Clemens Alexandrinus, Origines, Eusebius, Epiphanius, Chrysostomus); *haereticos existimandos esse universos, qui quovis praetextu contra traditionem ecclesiasticam recalcitrarint* (Clemens Alexandrinus, Basilius, Gregorius Nyssenus, Augustinus, Hieronymus, Athanasius); *traditionem esse normam adeo plenam, ut non modo complectatur, quidquid in scripturis est, idque confirmet et obsignet, sed alia etiam praeterea plura* (Clemens Alexandrinus, Eusebius, Athanasius, Epiphanius,

Basilius, Gregorius Nyssenus, Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus).

Historice autem persuasio christiani nominis se patefecit modo agendi, qui in decidendis quaestionibus ad fidem pertinentibus adhibebatur. Collatis *Athanasii* epist. ad Afros, de dec. syn. nic. l. 2; *Patrum Sardicensium* epist. ad universos episcopos; *Theodoreti* hist. eccl. l. 5. c. 9; *Vincentii Lirinensis* cap. penult. commonit; *Patrum Chalcedonensium* act. 2; *Synodi quintae* can. 8. sq.; *Synodi sextae* act. 10; *Concilii Romani* sub Martino I. secret. 2; *Synodi septimae* defin.; *Synodi octavae* c. 1; *Cyrilli Hierosolymitani* catech. 4; *Basilii* de Spiritu sancto c. 27; *Leonis Magni* epist. 58. ad Flavianum; *Agathonis* ad Constantinum Pogonatum constat, *traditionem usurpatam esse ut normam, secundum quam dirimendae essent controversiae fidei; ut normam deinde, quam dirimendae essent controversiae fidei; ut normam deinde, qua cognita illico innotescat, quid credendum, quidve respuendum sit; eandem propositam esse ut regiam viam, cui constanter inhaerendum sit, ut regulam praeterea, a qua desciscere nemo, nisi impius valeat.*

Polemice tandem eandem persuasionem christiana societas monstravit, sive quum haereticis vitio vertit, quod traditioni minime acquiescant, sive quum haereticorum commenta traditione profligat. Quaedam tantum ex innumeris, quae praesto sunt, citamus. Confer, quae habent *Tertullianus* de carne Christi c. 2; *Serapion* apud Euseb. l, 6. c. 12; *Origenes* in Matth. tract. 29; *Athanasius* contra Apollin. l. 1. c. 20; *Basilius* hom. 28. contra Sabellium, Arium et Anomaeos, et de Spiritu sancto c. 25; *Epiphanius* haer. 75. n. 8; *Augustinus* saeqe in libris de baptismo, ut l. 2. c. 7; l. 5. c. 23. sq.; cont Julian. l. 2. et l. 6; *Hormisdas* ad Possessorem Episcopum; *Nicephorus* in apolog. min. apud May tom. 5. p. 2. n. 2; et in antihaeretico I. n. 11.

Thesis X. Inter praesidia ad traditionem infallibiliter cognoscendam eminet singulis aetatibus editum apertum suffragium et judicium testium authenticorum.

Dem. Haec veritas inprimis persuasione christiana certa est. Quavis namque aetate omnis doctrina discors ab aperto suffragio et judicio testium authenticorum habita fuit aliena a verbo Dei tradito et deposito fidei adversaria; ideoque creditum fuit, apertum suffragium et judicium testium authenticorum necessario connexum esse cum verbo Dei tradito et deposito fidei ab Apostolis accepto. Item quavis aetate apertum suffragium et judicium testium authenticorum de verbo Dei tradito nec aliter acceptum fuit, quam ut suffragium humano-divinum, ad quod pertineant illa apostolica verba: *Visum est Spiritui sancto et nobis.* Persuasum igitur quavis aetate christianae societati fuit, suffragium apertum testium authenticorum de verbo Dei tradito non posse non esse cum hoc, qua tali connexum. Hac vero connexione existente, manifeste suffragium et judicium testium authenticorum est praesidium ad infallibiliter cognoscendam traditionem.

Praeterea testes authentici quavis aetate sunt organum infallibile traditionis. Ergo eorum suffragium et judicium de verbo Dei tradito quavis aetate infallibile est. Atqui suffragium et judicium de verbo Dei tradito infallibile sane praesidium est ad verbum Dei traditum infallibiliter cognoscendum.

Denique iidem testes sunt custodes fidei infallibiles. Tales vero esse non possent, nisi eorum suffragium et judicium de verbo Dei tradito infallibile esset. Nam custodes fidei eatenus illi sunt, quatenus et integritatem depositi et veram ejus intelligentiam conservant et tuentur. Quum igitur omne suffragium et judicium testium authenticorum ad integritatem et veram intelligentiam depositi conservandam et defendendam spectet, infallibiles custodes fidei esse nequeunt, nisi eorum suffragium et judicium de

verbo Dei tradito infallibile sit. Atqui judicium de verbo Dei tradito infallibile est praesidium ad traditionem infallibiliter cognoscendam.

Ex quo argumento rationem perspicis, ob quam in superioribus thesibus saepe eosdem, quos testes authenticos dicebamus, doctores authenticos nominavimus. Ratio videlicet ea est, quod necessario ii, qui testes sunt authentici fidei ejusque custodes, ejusdem quoque authentici doctores sint. Nam munus custodum fidei exercetur functionibus doctori propriis, ac sine ipsis integrum consistere nequit. Profecto custodi fidei incumbit munus conservandi et defendendi integritatem et veram intelligentiam depositi. Hoc vero munus exerceri nequit, quin quae obscurius in deposito fidei continentur, dilucidentur, quae implicita in eo sunt, explicentur, quae ambigua sunt, determinentur, quaeque minus diserte proponuntur, disertius proponantur. Haec vero aperte ad munus doctoris pertinent.

Unde colligitur testes eadem ratione, qua sunt custodes fidei infallibiles, esse quoque doctores infallibiles, ideoque eorum judicia ad intelligentiam depositi fidei pertinentia esse irreformabilia et immutabilia. Quo spectant haec *concilii vaticani* in cap. 4. constit. „Dei Filius“: „Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda; sed tamquam divinum depositum Christi sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta mater Ecclesia, nec umquam ab eo sensu, altioris intelligentiae specie et nomine recedendum.“ Cui definitioni respondet canon 3: „Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia, anathema sit.“

Quare summopere a veritate aberrant, qui, philosophia, ut ipsi quidem opinantur, progrediente, fieri posse

et revera factum esse affirmant, ut alia esse debeat intelligentia dogmatum, quam prius, utque definitiones fidei aliquando a testibus authenticis datae reformandae et immutandae sint.

Thesis XI. Numeranda deinde ex Veterum persuasione concors praedicatio et sententia ecclesiarum proprie ac presse apostolicarum, nec non judicium suffragiumque cathedrae Petri Romanaeque ecclesiae.

Dem. part. I. Diserte inprimis Veteres asserunt, fidem seu praedicationem suffragiumque ecclesiarum apostolicarum esse fidei catholicae normam. Ita Irenaeus l. 3. c. 4; Tertullianus c. 20. 21. 36.

Praeterea Veteres hac norma ad haereses refutandas stabiliendamque doctrinam orthodoxam utuntur (cf. Augustinum de doctr. christ. l. 2. c. 8; Fulgentium de Trinit. c. 1; Isaacum invectiv. 2. adv. schismat.). Ut exemplo id illustremus, *Augustinus* cont. Faust. l. 28. n. 2. genuinitatem Evangelii Matthaei hunc in modum defendit: „Continuo dices illam narrationem (de Christi nativitate) non esse Matthaei, quam Matthaei esse dicit universa Ecclesia ab Apostolicis sedibus usque ad praesentes Episcopos certa successione perducta. . . Cui nos potius censes fidem accomodare debere? Eine (libro), quem illa Ecclesia ab ipso Christo inchoata et per Apostolos provecta certa successionum serie usque ad haec tempora toto terrarum orbe dilatata . . . approbat, an ei, quem eadem Ecclesia incognitum reprobat?“

Docent deinde iidem, communionem cum ecclesiis Apostolicis esse necessariam. Sic *Augustinus* ep. 49: „Quibus omnibus ecclesiis (apostolicis), ait, nos hodie communicare manifestum est, vos (Donatistas) istis non communicare.“ Et *Pelagius I.* ad Tusciae episcopos scribit: „Quum enim beatus Augustinus dominicae sententiae memor, qua fundamentum Ecclesiae in apostolicis sedibus

collocavit, in schismate esse dicat, quicumque se a praesulis earundem sedium auctoritate vel communione suspenderit. . . . quomodo vos ab universi orbis communione separatos esse non creditis, si mei inter sacra mysteria . . . nominis reticetis, in quo licet indigno apostolicae sedis per successionem episcopatus praesenti tempore videtis consistere firmitatem.“ Ac denuo *Augustinus* cont. litt. Petiliani l. 2. c. 16.: „Si autem tu a me quaeras, quibus fructibus vos potius esse lupos rapaces, cognoscamus, objicio schismatis crimen; ego autem statim probabo, neque enim communicas omnibus gentibus et illis ecclesiis apostolico labore fundatis.“ Similia leges apud *Optatum Milevitanum* in Parmenian. cont Donat. l. 2; *Ephremum* (Asseman. bibl. orient. tom. 1. p. 129.), *Epiphanium* haer. 27. n. 6., et apud *Auctorem* quaest. vet. et nov. testam. q. 110. Omnium mentem expressit *Bahanes* patricius act. 8. conc. 8. contra Theodorum Critium disserens: „Quo fugies, vel quo ibis? Posuit Deus Ecclesiam suam in quinque patriarchis, et definivit in Evangeliis suis, ut numquam aliquando penitus decidant, eo quod capita Ecclesiae sint. Etenim illud, quod dicitur: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam,* hoc denuntiat, quando duo ceciderint, currunt ad tria, quum tria ceciderint, currunt ad duo, quum vero quatuor forte ceciderint, unum quod permanet in omnium capite, Christo Deo nostro, revocat iterum reliquum corpus Ecclesiae.“

Quod Veterum persuasione constat, idem colligitur quoque ex praecedente thesi. Concors enim ecclesiarum Apostolicarum suffragium virtute est suffragium omnium ecclesiarum. Ita enim, Christo instituente, res se habet, ut potius suffragii omnium ecclesiarum momentum sit suffragium Apostolicarum ecclesiarum.

Dem. part. II. Ut Veteribus solemne fuit, in controversiis, quae de divina traditione obortae erant, ad judicium cathedrae Petri et Romanae ecclesiae ut ad archetypum et necessariam normam orthodoxiae provocare, ita iidem universim communionem cum cathedra Petri sim-

pliciter necessariam esse affirmarunt, docueruntque, extra hanc communionem consortium cum Ecclesia Christi haberi non posse, eamque idem esse, quam communionem cum Ecclesia catholica.

Tertulliani testimonium praescript. c. 36. supra adduximus, item *Irenaei*, qui ante eum scripsit, ac aperte l. 3. c. 3. docet, confundi omnes haereticos provocatione ad Ecclesiae Romanae doctrinam, traditionem divinam in ipsa conservari ab universa Ecclesia, ipsius fidem *jure* esse Ecclesiae catholicae fidem, ideoque hanc ex ipsa cognosci. Accedit *Cyprianus*, qui in epist. 52. ad Antonianum, hunc sibi scripsisse commemorat, „ut exemplum litterarum (ad se datarum) ad Cornelium collegam suum transmitteret, ut deposita omni sollicitudine jam sciret, ipsum cum eo, hoc est cum catholica ecclesia communicare.“ Ac in epist. 55. ad Cornelium Papam de Fortunato ac Felicissimo aliisque schismaticis africanis scribit: „Navigare audent, et ad Petri cathedram atque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides, Apostolo praedicante, laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.“ Tum *Optatus Milevitanus* l. c. l. 2. c. 2: „Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput..., in qua cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne caeteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedram unicam, quae est prima de dotibus (Ecclesiae), sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens . . .“, ac enumeratione pertingens usque ad Siricium: „Cum quo, inquit, communionem habemus, et per eum cum omnibus aliis episcopis, qui per epistolas, ut appellant, formatas cum ipso communicant.“ Ac *Ambrosius* serm. de obitu fratris sui Satyri de hoc in certum aliquem locum transmittente dicit: „Ad vocavit ad se Episcopum, nec ullam veram putavit nisi

verae fidei gratiam, percunctatusque ex eo est, utrum cum episcopis catholicis, hoc est, cum Romana sede conveniret.“ Cujus haec quoque sunt in Ps. 50. n. 30: „Ipse est Petrus, cui dixit Christus: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia.“ Et haec de poenit. l. 1. c. 7: „Non habent enim Petri haereditatem, qui Petri fidem non habent, quam impia divisione discerpunt.“ Nec alia fuit *Hieronymi* fides, ut patet legenti dial. cont. Lucif. n. 9; epist. 130. ad Demetriadem n. 16; epist. 15. ad Damasum et alia. Unum solum ipsius testimonium adducimus in Rufin. l. 1. n. 4., quod ita habet: „Fidem suam, quam vocat? Eamne, qua Romana pollet Ecclesia, an illam, quae in Origenis voluminibus continetur? Si Romanam responderit, ergo catholici sumus.“ Audiendus quoque *Augustinus*, qui haec habet notissima in psalmo contra partes Donati: „Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, et in ordine illo patrum, quis cui successit, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.“ Idem post duo concilia, carthaginiense et milevitanum, cum *Aurelio, Alypio, Evodio et Possidio* scripsit epist. 177. n. 19: „Non enim rivulum nostrum tam largo fonti augendo refundimus, sed in hac non tamen parva tentatione temporis, unde nos liberet, cui dicimus: Ne nos inferas in tentationem, utrum etiam noster, licet exiguus, ex eodem, quo etiam tuus abundans, emanet capite fluentorum, hoc a te probari volumus, tuisque rescriptis de communi participatione unius gratiae consolari.“ Confer adhuc ejusdem epist. 43; cont. Crescon. l. 3. c. 3; de grat. Christi c. 43. Consule quoque *Petrum Chrysologum* epist. ad Eutychen: *Leonem Magnum* epist. 10. ad episcopos prov. Viennens.; epist. 119. ad Maxim. Antioch.; epist 28. ad Flavianum, et quae de ipsa gesta sunt in conc. chalced.; *Gregorium Nazianzenum* carm. de vita sua; *Maximum* epist. ad Petrum Illustrem; *Theodoretum* epist. ad Leonem; formulam *Hormisdae* ad Orientales missam et ab universali Ecclesia receptam; *Justinianum* epist. ad Hormisdam;

Avitum Viennensem ad eundem: *Epiphanium Constantinopolitanum* ad eundem. Imo haereticos ipsos hujus persuasionis habes testes, utpote qui, ut nominatim Novatiani et Donatistae, referentibus sanctis patribus communionem cum Romana sede furtim obtinere studuerunt.

Thesis XII. Certissimum traditionis argumentum est conspiratio monumentorum christianorum in exhibenda aliqua veritate, tamquam ad fidei depositum pertinente.

Dem. Paucis primo declarandum est, quid nomine monumentorum christianorum veniat. Universim eo intelliguntur quaecumque opera antiqua, quibus, quae tunc temporis viguerit sententia et fides ad christianam doctrinam vel disciplinam spectans, edocemur. Unde speciatim nomine monumentorum christianorum praecipue significantur opera scripta, quum per se clarius et distinctius, quam caeteris, ac vero etiam plenius sententiae antiquitatis exhibeantur. Ad monumenta igitur referas symbola professionesque fidei, acta et definitiones conciliorum, decretales summorum Pontificum, libros liturgicos, sacramentarios, paenitentiales, Patrum opera apologetica, exegetica, dogmatica, polemica, catechetica et ascetica, libros historiae ecclesiasticae, libros jus ecclesiasticum, imo et civile complectentes, et ipsa etiam, opportune et ut par est adhibita, opera haereticorum et adversariorum christianae religionis. Eodem nomine designantur opera sculpta, picta, architectonica et epigrammata, quibus persaepe instructa sunt.

Secundo notandum est, in praesenti thesi monumenta christiana considerari formaliter, quatenus talia sunt, non autem sub ratione, quae eis ratione auctorum, quibus originem suam debent, convenit. Sub hac enim ratione spectata persaepe sunt ipsum testium authenticorum suffragium et judicium, quod, ut vidimus, praesidium est in-

fallibiliter cognoscendi divinam traditionem. Scilicet, ut distinctius idem declaremus, distinguenda sunt haec tria: *traditio, quae cognoscitur*, tum *organum, per quod cognoscitur*, denique *medium continens traditionem cognoscendam.* Hanc porro rationem medii continentis traditionem cognoscendam tribuimus conspirationi monumentorum christianorum; non quasi haec tum solum hanc rationem haberent, quum conspirant in exhibenda aliqua veritate tamquam ad fidei depositum spectante, sed quod tunc, quum id obtinet, eam certissime habeant.

Verum nonne conspiratio monumentorum christianorum infallibiliter ad cognitionem divinae traditionis mentem perducit? Minime, quia nonnisi unum est organum, per quod obtineri infallibilis ejusmodi cognitio potest, scilicet testes doctoresque, quibus a Christo depositi custodia commissa est.

Ad demonstrationem accedentes, primo historiam appellamus. Nunquam videlicet summa monumentorum christianorum concordi consonoque suffragio aliquid continuit, quod deinceps rejectum aut rejiciendum esse monstratum fuerit; contra semper doctrina, quae conspiratione omnium, imo plurium monumentorum illorum comprehensa monstrabatur, divina habita fuit. Accedit philosophica probatio. Nimirum repugnat, ut monumenta omnia, diversae speciei diversique ordinis, a diversis auctoribus provenientia, et in diversis dissitisque locis prodeuntia in eundem errorem idemque mendacium conspirent. Id vero ponendum foret, si christianis monumentis concorditer aliquam veritatem tamquam divinam exhibentibus, haec reipsa divina traditio non esset.

Accedit theologicum argumentum. Profecto si suffragium authenticorum testium elementis fixis et consistentibus imprimatur, ac propemodum incorporetur, habetur ipsius traditionis incorporatio quaedam et concreta repraesentatio. Atqui si monumenta christiana in exhibenda aliqua veritate ut pertinente ad depositum fidei consentiunt, pleno jure considerantur ut suffragium testium

authenticorum fixis et consistentibus elementis impressum. Quod facile quisque fatebitur, si rationem originis istorum monumentorum expendat.

Ex ipsa rei natura non poterat non fieri, quin doctrina, quae, Christo volente, magisterio in continua successione apostolica vivente conservanda et propaganda erat, paulatim tum ab ipsis authenticis testibus tum ab aliis quoque in libris scriptis aliisque monumentis consignaretur. Flagitabat id studium consulendi posterorum memoriae, quo Ignatium Martyrem, Papiam, Hegesippum et Clementem Alexandrinum ad traditionem litteris comprehendendam motos fuisse, scribit Eusebius. Flagitabat id pro rerum temporumque conditione ipsum fidei tuendae munus et consilium, quum traditionis in monumentis consignationem modo defensio dogmatum contra impugnatores, modo institutio fidelium in doctrina et disciplina christiana necessariam redderet. Flagitabat id officium doctorum cum testium munere intimo vinculo nexum. Flagitabat id lex illa, quam in similibus negotiis homines humanaeque societates constanter sequuntur. Hinc connaturali modo factum est, ut oralis traditio monumentis figeretur, iisque fixa in nos transmitteretur; et ita locus daretur collationi et institutioni, qua homines communiter et ordinarie de rebus anteactis instruuntur.

Verum quod naturali tantum modo, humanoque tantum consilio factum natumque videri posset, id altissima Dei providentia maxime dispositum credendum est, adeo ut princeps ac suprema causa existentiae monumentorum christianorum nec non conservationis eorundem sit specialis Dei erga suam Ecclesiam providentia. Deo videlicet placet, supernaturalem ordinem, quem extraordinario et mirifico modo instituit, deinceps regere et administrare modo ordinario, operam diligentiamque humanam includente. Sine monumentis autem illis, quae diximus, vix et ne vix quidem intelligi posset, quomodo modus ordinarius in negotio fidei propagandae, probandae et conservandae exstare valeret. Quomodo sine ipsis directe de praedicatione

antiquitatis constare, quomodo ii, quibus fidei praedicandae et vindicandae munus imponendum est, scientia fidei instrui, quomodo contra haereticos praesentis fidei cum antiqua harmonia, et per omnes aetates summa ejus consensio et convenientia monstrari, quomodo controversiae, quae forte in ipsa christiana societate oriuntur, dirimi variisque dubitationibus finis imponi, quomodo, ut uno verbo dicamus, elementum humanum, cui assistentia Spiritus sancti juvantis, dirigentis et ab errore praeservantis promissa est, explicationem suam nativam habere posset?

Quare monumenta christiana in praecipuis suis elementis sunt fructus quidam ex ipso testium authenticorum corpore enascens, seu explicatio quaedam, quam hoc corpus, divinitus institutum et protectum, tum ex rei hominisque natura tum ex suavi fortique Dei providentia habuit. Nequeunt igitur spectari ista avulsa a testibus doctoribusque authenticis, sed imo necessario consideranda sunt individuo vinculo cum eis conjuncta. Quo vinculo fit, ut illa induant rationem ipsius traditionis objective consideratae, ab ea, quae vivo suffragio testium respondet, non aliter, quam modo transmissionis diversae. Quae enim vivo suffragio testium respondet, est traditio commissa viventibus testibus; quae vero in monumentis christianis continetur, est eadem traditio, sed elementis inanimis impressa; illa simul medium et organum est, haec medium tantum; illa hodiedum vox Christi et Apostolorum personat, hac eadem vox, ut praeteritis aetatibus sonabat, conservatur. Non secus igitur monumenta christiana sunt medium infallibile divinae traditionis, quam ipsum suffragium testium authenticorum. Discrimen in eo tantum versatur, quod hoc suffragium sit primo et ex sese medium infallibile, monumenta autem ista tale sint secundo loco et participatione; quod illud ita sit medium, ut simul sit organum, haec autem tantum sint medium; quod illud sit ex immediata Dei institutione, haec ex speciali Dei erga Ecclesiam suam providentia.

Thesis XIII. Ad ea certo cognoscenda, quae in summa monumentorum christianorum comprehensa ad divinam revelationem pertinent, conducit regula Vincentii Lirinensis, tenendum esse, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est.

Dem. Tum alibi in suo commonitorio, tum maxime et clarissime regulam, ad quam provocamus, capite secundo exponit. „In ipsa item catholica Ecclesia, ait, magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est etenim vere proprieque catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quae omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia; antiquitatem vero ita, si ab his sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos majores ac patres nostros celebrasse manifestum est; consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium vel certe pene omnium sacerdotum pariter et magistrorum definitiones sententiasque sectemur.“ Quorum verborum sensus huc redit: Tamquam doctrina revelata tenendum est, pro quo fidem interponit consensus praesens Ecclesiae et consensus vel simpliciter vel moraliter talis antiquitatis relativae ante exortam controversiam. Dico „antiquitatis relativae“, ita enim antiquitatis nomen declarat Vincentius, et declarare debebat. Antiquitas enim absoluta est ipsa doctrinae ab auctore revelationis origo. Haec vero sane nota esse nequit doctrinae revelatae, qua talis, quum hanc rationem intrinsece et formaliter ingrediatur. In nostra vero thesi regulam Vincentii consideramus per se, ut nimirum tamquam notas doctrinae revelatae ac divinae antiquitatem, universitatem et consensionem assignat. Porro regulae valor a nemine in dubitationem adduci potest, cui rata fixaque sunt, quae supra statuimus Certe illud, quod creditum est fide, cujus

initia ad apostolicam aetatem referenda sunt, quae ubivis diffusa et ab omnibus recepta est, non potest non esse divinitus revelatum. Secus enim erronea fides universos Christianos occupasset; error veritate prior fuisset, ac testium authenticorum suffragium a veritate alienum extitisset. Ejusmodi autem doctrina est, quae recensitis notis praedita est.

Fere eodem, quo Vincentii regula spectat, refertur etiam regula, cujus haud raro *Augustinus* mentionem facit, nempe: Quod universa tenet Ecclesia, nec a conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur (cf. de bapt. l. 2. c. 7: l. 4. c. 27; l. 5. c. 32; epist. 54. ad Ianuarium n. 1; de cura pro mortuis gerenda n. 3; cont. Faust. l. 11. c. 2.). Est tamen canon Augustini Vincentiano laxior, quum hic ad solam traditionem divinam et divino-apostolicam, ille vero etiam praeterea ad traditionem pure apostolicam, ad ea nempe pertineat, quae sola apostolica auctoritate constituta sunt.

Thesis XIV. Ut vero legitimus hujus regulae usus sit, tenendum est, eam sensu affirmante acceptam esse verissimam, sed dempta antiquitate, sensu excludente urgeri non posse.

Dem. Quum praecedente thesi primam partem demonstratam dederimus, continuo ad alteram accedimus. Antiquitatem doctrinae sensu excludente urgeri posse, adeo ut idem sit demonstrare aliquam doctrinam non esse antiquam, quam efficere eam ad depositum fidei non pertinere, ex ipsa antiquitatis notione patet. Nihil enim aliud est antiquitas, quam dos, quae doctrinae inest ratione originis ab auctore revelationis christianae, qui Christus est per se ipsum et per Spiritum sanctum in Apostolis. Jam vero ad depositum fidei catholicae nihil spectare, cujus hoc modo Christus auctor non sit, exploratum est.

Doctrina siquidem Christi plena et perfecta adeo est, ut nulla ejus objectiva perfectio in hoc mortalitatis stadio sit extitura; ideoque nihil revelatione christiana comprehendi potest, quod non est doctrina Christi per semetipsum et per Spiritum sanctum in Apostolis humano generi communicatum.

Sane, ut nunc argumenta seponamus, quae pendent a dogmatibus alibi demonstrandis, huc pertinet praeceptum Christi, ut ipse unus habeatur Magister, ac ne praeter ipsum agnoscamus et salutemus quemquam magistrum. Tum monitum Apostolorum, ut maneamus in eo, quod audiverimus ab initio, quodque ipse docuerit nos, ac ne exspectemus aliud *perfectum*, quam quo omnino evacuetur, quod ex parte est, quodque proinde in ipsa visione beatifica consistit. Huc etiam faciunt non pauca ex Evangeliis ac epistolis Apostolorum desumpta. Ut puta illa, quibus Christus dicitur *lux vera illuminans omnem hominem*, ac *plenus gratiae et veritatis, de cujus plenitudine nos omnes acceperimus*, et is, *in quo sint omnes thesauri sapientiae et scientiae*. Praeterea testimonia Christi Matth. 28. 19, 20; Joh. 15. 15. coll. 16. 12. et 14. 25. sq; et Pauli Heb. 1. 1; 12. 26, et ea, quae identidem in eadem epistola occurrunt, quibus docet, novam a Christo institutam oeconomiam ad veterem se habere, sicut corpus ad umbram, sicut veritatem ad figuram, sicut antitypum ad typum, sicut perfectum ad imperfectum, ideoque oeconomiam Christi, non ut veterem, solam umbram futurorum bonorum, sed ipsam imaginem rerum continere.

Idem continuo et verbis et factis inculcavit societas christiana. „Regula lucis est, inquit *Barnabas* epist. n. 19, custodi, quae accepisti, neque addens quidquam neque detrahens.“ Idem ab *auctore recognitionum Clementis*, ab *Irenaeo*, et a *Tertulliano* dictum supra audivimus. Idem repetunt *Athanasius* in epist. encycl. ad Episcopos n. 1; *Basilius* epist. 175; *Augustinus* de bapt. l. 5. c. 26. Quorum omnium nomine loquatur Vincentius Lirinensis c. 21: „Mirari satis nequeo tantam quorumdam hominum vesa-

niam, tantam excaecatae mentis impietatem, tantam postremo errandi libidinem, ut contenti non sint tradita semel et accepta antiquitus credendi regula, sed nova ac nova in diem quaerant semperque aliquid gestiant religioni addere, mutare, detrahere; quasi non caeleste dogma sit, quod semel revelatum esse sufficiat, sed terrena institutio, quae aliter perfici, nisi assidua emendatione, imo potius reprehensione non possint, quum divina clament oracula: *Ne transferas terminos, quos posuerunt patres tui*, et: *Super judicantem ne judices*, et: *Scindentem sepem mordebit eum serpens;* et illud Apostolicum, quo omnes omnium haereseon sceleratae novitates velut quodam spiritali gladio saepe truncatae semperque truncandae sunt: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidem promittentes circa fidem exciderunt.*" Hinc principii inviolabilis instar propugnabatur, ad fidem pertinere non posse, quidquid novum sit. Variis adductis haereseon exemplis, Vincentius Lirinensis scribit c. 24: „Quibus cunctis satis evidenter perspicueque monstratur, hoc apud omnes fere haereses quasi solemne esse ac legitimum, ut semper profanis novitatibus gaudeant, antiquitatis scita fastidiant, et per oppositiones falsi nominis scientiae a fide naufragent. Contra vero Catholicorum hoc vere proprium, deposita sanctorum patrum et commissa servare, damnare profanas novitates, et sicut dixit atque iterum praedixit Apostolus: *Si quis annuntiaverit praeterquam quod acceptum est, anathema sit.*" Atque hinc, si a Veteribus quaeris, quid sit fides Ecclesiae et fides catholica, uno ore tibi respondent, nihil aliud eam esse, quam fidem apostolicam, seu fidem non interrupta ab Apostolis successione acceptam, nullumque aliud esse ejus objectum, quam quod in Ecclesia, tamquam in depositorio diviti, Apostoli deposuerunt.

Principio, ad fidei depositum pertinere non posse, quidquid novum est, ac apostolicum esse oportere, quod catholicae fidei objectum sit, tamquam lege sacrosancta rectos fuisse Pontifices et Patres, seu potius universos

testes authenticos in conservanda, propugnanda et explicanda fide, jam pluries diximus et probavimus.

Quum itaque ratum fixumque sit, nihil ad depositum fidei catholicae pertinere posse, quod non sit originis apostolicae; manifestum existimari debet, antiquitatem esse dotem essentialem traditionis divinae ideoque ad eam referri nihil posse, quod antiquum non sit.

Num igitur, quaeres, nullae novae dari possunt revelationes? Respondemus, nullas dari posse, quae ad depositum fidei catholicae accedant, ipsumque augeant, ideoque nullas, quae ad universam Ecclesiam dirigantur sive immediate sive mediate per singulares quosdam homines, quos Deus constituerit legatos ad suam Ecclesiam. Nihil autem repugnat, fieri revelationes privatis hominibus ad propriam ipsorum utilitatem, vel etiam ad privatam aliorum directionem. Quamvis proinde ejusmodi revelationes ei, cui fiunt, si adsint sufficientia motiva credibilitatis, esse possint et sint objectum fidei *divinae*, nunquam tamen esse possunt objectum fidei *catholicae*. At, dices, possunt eae fieri objectum fidei catholicae, si Ecclesiae approbatio accedat. Reponimus, Ecclesiae approbationem non posse habere hunc sensum, revelationes istas reipsa esse revelationes divinas, quum ad ejusmodi judicium ferendum auctoritate praedita non sit, sed eum solum sensum habere, posse nos sine superstitione ac pie fide humana credere, illas esse a Deo factas.

Veniendum jam est ad universitatem et consensionem. Hae dotes de revelata doctrina dicuntur, non in se et objective, sed relative ad notitiam et cognitionem credentium considerata. Quum porro evidens sit, nihil ex sese obstare, quominus aliqua veritas in deposito fidei sit, quin in notitia credentium sit, et fide explicita ab his credatur, a priori certum esse videtur, universitatem et consensionem non ad eas pertinere revelatae doctrinae notas, sine quibus ipsa esse non valeat. Sed accuratius id explicare opportunum dicimus.

Ut mox demonstravimus, nihil ad revelatam et catholica

fide credendam doctrinam pertinere potest, quod non comprehendatur deposito ab Apostolis Ecclesiae tradito. Hinc certum est, nullum dari posse fidei catholicae objectivum, seu ut alii loquuntur, ontologicum incrementum.

Certum praeterea est, in deposito ab Apostolis Ecclesiae credito non necessario omnes veritates revelatas eodem modo contineri, sed contineri posse vel *explicite* vel *implicite*, vel *clare* vel *obscure*, vel *diserte* vel *minus diserte*. Cur enim id repugnaverit? Non repugnat naturae revelationis, quum nulla in eo sit repugnantia, quod aliquid sit implicite, obscure, minus diserte revelatum. Nec repugnat naturae fidei, quum, quaecumque in materiali objecto fidei sunt, eodem modo, quo in ipso sunt, in fide subjectiva esse possint. Non repugnat utilitati credentium, quum non omnia objecto materiali fidei comprehensa ejusdem sint necessitatis, ad vitae aeternae consequutionem quod attinet, ideoque necessarium non sit, ut omnia explicite et clare et diserte in fide subjectiva sint, ut quis salutis sit particeps, imo veram sanctitatem adipiscatur. Non repugnat denique Sapientiae Dei revelantis. Assignari enim plures rationes divina Sapientia dignae possunt, cur Deus rem disponere ita valeat, ut non omnia in deposito fidei explicite, clare et diserte contineantur. Satis sit hanc unam innuisse. Deum nimirum ita agere posse, ut in negotio etiam fidei lex progressus, pro natura utique fidei, vigeat, ut fides, quae in mentibus hominum existit, easque superna divinaque cognitione ornat, explicationem analogam habeat ei, quae propria est viventibus, maxime rationalibus. Quo spectare Vincentius Lirinensis videtur haec c. 23. scribens: „Sed forsitan dicit aliquis: Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habetur plane, et maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen, ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsam unaquaeque res amplificetur: ad permutationem vero ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat

igitur oportet et multum vehementerque proficiat tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia. Imitetur animarum religio rationem corporum, quae licet annorum processu numeros suos evolvant ac explicent, eadem tamen, quae erant, permanent. . . Ita etiam christianae religionis dogma sequatur has decet profectuum leges, ut annis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur aetate, incorruptum tamen illibatumque permaneat, et universis partium suarum mensuris, cunctisque quasi membris ac sensibus propriis plenum atque perfectum sit, quod nihil praeterea permutationis admittat, nulla proprietatis dispendia, nullam definitionis sustineat varietatem.“ Itaque dispositionem illam divinam, de qua agimus, Vincentius non tantum ad ea refert, quae fieri possunt, sed ad ea etiam, quae summopere convenientia, imo propemodum necessaria sunt. Et certe fidei depositum non est nescio quod elementum mortuum, sed est principium aliquod vivum, propemodum informans corpus testium authenticorum, depositum, ut loquitur Irenaeus „semper juvenescens et juvenescere faciens ipsum vas, in quo est.“ Jam vero principium vivum non est sine motibus vitalibus pertinentibus ad ulteriorem suam explicationem et perfectionem. Hi igitur in fide etiam christiana agnoscendi sunt, ideoque data ea censenda est non in statu plenae perfectionis consummataeque explicationis, sed in statu ejus explicationis et perfectionis, qui seminibus convenit prae arboribus, in quas evolvuntur. Ne ideo tamen putes, probari a nobis absonam quorumdam opinionem, ipsos Apostolos revelatae doctrinae intelligentiam minus perfectam, quam eorum successores, habuisse. Certum namque est, eos scientia infusa totum depositum fidei secundum intimam omnium, quae continet, rationem distincte cognovisse. Quamvis vero totum cognitionis suae objectum communicaverint, non tamen ipsum

secundum omnem rationem cognitionis suae proposuerunt et proponere poterant. Qui enim fieri potuisset, ut non modo quidquid singula dogmata complectuntur, sed etiam omnes relationes ad diversas diversarum aetatum indigentias, omnesque ad innumeros fere errores oppositiones exponerent?

Hinc vero ulterius certum est, dari posse veritates revelatas, quae non semper fuerint objectum fidei explicitae, quae non semper fuerint in manifesta praedicatione testium authenticorum, sed quae implicita erant in aliquo objecto explicitae fidei, quaeque nonnisi minus diserte et obscure praedicabantur. Jam vero ut ignorari a quibusdam poterat, illas ad objectum fidei pertinere, ita ab aliis dubitationes moveri de eadem re poterant, imo negari poterat, eas reipsa depositi fidei partes esse. Judicio enim rationis, praesidiis tantum humanis instructae, commissi et ignorantiae ac dubitationi et errori patebant.

Quare certum quoque est, universitatem et consensionem dotes non esse, quae necessario cum revelata doctrina, qua tali, cohaereant, quum doctrina aliqua revelata esse possit, quin universali consensione recipiatur. Non vero utique aliqua doctrina recepta esse potest eadem hac consensione, quin revelata sit. Hinc universalis consensionis defectus per se non est argumentum, quo doctrina aliqua ad depositum fidei non spectare probari queat, ejusdem autem existentia argumentum est quavis exceptione majus, doctrinam, de qua agitur, revelationi deberi. Quod non tantum testimoniis suis (cf. *Irenaeum* adv. haer. l. 1. c. 10; l. 3. c. 2; *Tertullianum* praescript. c. 28; cont. Marc. l. 4. c. 5; *Origenem* de principiis n. 2; *Basilium* de Spiritu sancto c. 29. coll. c. 10. 27. 30), sed suo etiam agendi modo comprobant. Sic, ut alios mittam, Origenes universali consensione utitur ad libros inspiratos distinguendos; Cyprianus consensione universali refellit Novatianos, Athanasius Arianos, Augustinus Donatistas et Pelagianos, Cassianus Nestorianos.

Scholion. Ad sententiam antiquitatis cognoscendam,

necessarium minime est singulare eorum examen, quae tribus prioribus Ecclesiae saeculis tradebantur, sed satis est quarti quintique sacculi sententiam compertam habere. Quod primo quidem discimus ex agendi ratione conciliorum. Haec namque non ab antiquissimis, sed a citimis potius recentisque memoriae Doctoribus testimonia et probationes sumpserunt. Sic concilium Ephesinum non simplicem hominem, sed Deum natum esse de Virgine probat ex Cypriano, Petro Alexandrino, Athanasio, Julio Papa, Theophilo Alexandrino, Ambrosio, Gregorio Nazianzeno, Gregorio Nysseno, Basilio, Attico, Amphilochio, ex quibus solus Cyprianus non plenis ducentis annis antecessit concilium ephesinum, caeterorum memoria erat. Concilium chalcedonense, quamvis vetustiores, quos allegaret, praesto ipsi essent, attamen auctores tantum citat sibi vix toto saeculo anteriores, imo unum ante sex annos vita functum, Cyrillum Alexandrinum. Ac quinta synodus Patres enumerans, quos se in omnibus sequi profitetur, nominat Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Nazianzenum, Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Chrysostomum, Leonem et Proclum, antiquiorem neminem. Quibus synodus sexta adjicit Cyrillum Alexandrinum, Epiphanium, Ephraemum Antiochenum, Anastasium, Johannem Scythopolitanum.

Accedit non dissimilis agendi ratio singulorum Patrum, quibus in refellendis novorum haereticorum erroribus moris erat, ad recentiorum, ac fere aequalium suorum testimonia provocare. Sic *Augustinus* cont. Julian. l. 1. c. 2. auctores aliquot contra Pelagianam haeresim citat, quorum unus ex saeculo secundo, unus ex saeculo tertio est, caeteri eodem saeculo, quo natus Augustinus est, mortui. Tum *Cyrillus* in lib. de recta fide Nestorium confutaturus testes adducit ex quarto quintoque saeculo. Ac *Theodoretus* in tribus dialogis Apollinarianam haeresim impugnans, testes ex secundo saeculo duos, ex tertio pariter duos, caeteros autem omnes ex quarto quintoque saeculo, id est, proxime ante e vivis ereptos adducit. Item

Gelasius Papa de duplici Christi natura disputans ad eam testimoniis confirmandam praeter unum ex secundo, et unum ex tertio, reliqua ex quarto quintoque saeculo depromit (cf. Petav. de incarnat. l. 14. c. 15.).

Adde praeterea, quod Doctoribus quarti quintique saeculi ratum fixumque esset, sancte antiquitatem esse servandam, ac sedulo repellendam omnem novitatem. Qua potissimum ratione *Augustinus* cont. Julian. l. 2. c. 34. auctoritatem sanctorum et in Ecclesia Dei illustrium antistitum, ad quos provocat, illustrat et defendit: „Quod invenerunt in Ecclesia, hoc tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt; quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.“ Ac *Vincentius Lirinensis* commonit. c. 31. mentione facta epistolae Capreoli Chartaginiensis, in concilio ephesino lectae, qua inculcatur, ut „antiquae fidei dogmata confirmentur, novitia vero et superflue adinventa et impie promulgata reprobentur atque damnentur“, hunc in modum scribendo prosequitur: „Omnes Episcopi acclamaverunt. Haec omnium voces sunt, haec omnes dicimus, hoc omnium votum est. Quae tandem omnium voces, aut quae omnium vota, nisi ut quod erat antiquitus traditum, teneretur, quod adinventum nuper, exploderetur? Post quae admirati sumus et praedicavimus, quanta concilii illius fuerit humilitas et sanctitas, ut tot numero sacerdotes, pene ex majori parte metropolitani, tantae eruditionis tantaequae doctrinae, ut prope omnes possent de dogmatibus disputare, quibus propterea ipsa in unum congregatio audendi ab se aliquid et statuendi addere videretur fiduciam, nihil tamen novarent, nihil praesumerent, nihil sibi penitus arrogarent, sed omnimodis praecaverent, ne aliquid posteris traderent, quod ipsi a patribus non accepissent; et non solum in praesenti rem bene disponerent, verum etiam post futuris exempla praeberent, ut ipsi scilicet sacratae vetustatis dogmata colerent, profanae vero novitatis adinventa damnarent.“

Nec nullius momenti argumentum est, quod suppeditat consideratio conditionis scriptorum saeculorum

quarti et quinti. Ut enim traditio oralis ea aetate vix non erat recens, ita supererat copia haud exigua scriptorum aliorumque monumentorum priorum trium saeculorum, ut colligitur ex *Hieronymo* de viris illust.; *Eusebio* hist. eccl. l. 1. c. 1; l. 3. c. 37. aliisque testimoniis. Ac praeterea historia constat, illa saecula mirum in modum multis ornari viris, sanctitate non minus et pietate, quam scientia eminentibus, adeo ut injuria quis mendacium et errorem de iis suspicaretur, praesertim quum unanimis eorum est doctrina.

Denique argumentum omni exceptione majus ex eo petitur, quod rata et fixa saeculorum quarti et quinti sententia authenticorum testium suffragium complectatur; sententia autem hoc suffragium complectens sane Apostolicam traditionem menti sistit.

Thesis XV. Quod de conspiratione ac summa christianorum monumentorum affirmavimus, id pari jure de concordi Patrum sententia affirmandum est.

Dem. Viros illos illustres, qui post prophetas et Apostolos magistri et doctores nobis fuerunt, quosque Deus in Ecclesiae suae firmamento velut sidera quaedam suspendit, ut tum vitae exemplo nobis praelucerent, tum praestantia ac sinceritate doctrinae errorum ac haereseon tenebras dissiparent, Patres Ecclesiae nominamus. Quinam vero in horum numerum referendi sint, non privato judicio, sed declaratione vel usu Ecclesiae definiendum est.

Quatuor porro ad rationem Patris Ecclesiae concurrere videntur, scilicet *doctrina probata, eaque scriptis consignata;* tum *vitae integritas;* deinde *perpetua cum Ecclesia catholica unio*; denique *antiquitas.* De quaestione, quamnam esse oporteat hanc antiquitatem, non una est omnium sententia. Sunt qui terminum figunt initium septimi saeculi, quo *Gregorius* ob rerum praeclare gestarum a Graecis

juxta ac Latinis dictus Magnus, Ecclesiae exortus est; sunt qui *Bernardum* Patrum novissimum aut etiam posthumum appellant; sunt qui ad *Magistrum sententiarum* epocham Patrum extensam volunt.

Qui Patres nominantur, iidem etiam doctores Ecclesiae dicuntur, utpote qui sapientiae sanctitatisque suae radiis totam Ecclesiam collustrarunt. Quidam tamen ipsorum sunt, qui prae caeteris specialis honoris praerogativa nomen Doctorum Ecclesiae velut proprium possident, quia nimirum praeter eminentem scientiam et virtutem publicum habent Ecclesiae testimonium, quo ipsius Ecclesiae Doctores agniti et declarati fuerunt. Cujusmodi ex *Graecis* sunt *Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus;* ex *Latinis* vero praecipue quatuor: *Gregorius Magnus. Augustinus, Ambrosius, Hieronymus,* quibus tardius accesserunt *S. Cyrillus Hieros., S. Cyrillus Alexandrin., Hilarius, Leo Magnus. Isidorus Hispalensis, Bernardus* (cf. Weissenbach de cloq. Pat. l. 1. dissert. 1. c. 1; Gautier prodrom. ad theol. dogmatico-schol. a. 6.).

Si quod momentorum, quae ad rationem Patris Ecclesiae constituendam concurrunt, desit, pressa notio Patris non habetur. Antiquitate deficiente, obtineri potest notio *Doctoris Ecclesiae,* non vero Patris. Si sanctimonia desideretur, locum habet notio *scriptoris ecclesiastici,* non Patris, si perpetua cum Ecclesia catholica unio desit, eadem habetur notio, sed tantum secundum quid.

Quibus praestitutis ad argumentationem accedimus. Patres spectari inprimis possunt *literate et historice.* Quo considerandi modo adhibito, se tibi isti sistunt viros singulis quibusque christianae antiquitatis saeculis doctrina, sanctimonia pietateque insignes; tamquam eos igitur agnoscendos, qui et praevertentem Ecclesiae doctrinam perspectam haberent, et ab explorata ejus fide recedere nefas ducerent.

Iidem considerari deinde possunt *hierarchice.* Sic porro spectati plerique omnes non solum ad hierarchiam universim, sed etiam ad ordinem testium authenticorum per-

tinent. „Isti Episcopi sunt, inquit *Augustinus* cont. Julian. l. 2. n. 37, docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores adversus garrulas vanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate, quae tria bono judici tribuisti, non potes invenire, quod spernes. Si episcopalis synodus ex toto orbe congregaretur, mirum si tales possent illic facile tot sedere. Quia nec isti uno tempore fuerunt, sed fideles et multis excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diversas aetates temporum locorumque distantias, sicut ei placet, atque expedire judicat, ipse dispensat. . . Tanto tibi sunt terribiliores, quia oppugnas catholicam fidem, quam in lacte suxerunt, cujus lac et cibum parvis magnisque ministraverunt.“ Pone jam hos unanimi consensu aliquam doctrinam tamquam divinitus traditam proponere, eum cum errore conjunctum affirmare non potes, quin idem de consensu totius Ecclesiae asserere cogaris. Sed quamvis hoc potissimum dictum sit de eorum consensu, qui ad ordinem authenticorum testium spectant, excludendi tamen minime ii sunt, qui hunc gradum non obtinuerunt.

Hi namque etiam organi cujusdam instar sunt, per quod Ecclesiae fides se manifestat. „Nec sanctum Hieronymum, ait Augustinus, quia presbyter fuit, contemnendum putes . . ., qui omnes vel pene omnes, qui ante illum aliquid ex utraque parte orbis de doctrina ecclesiastica scripserunt, legit, nec aliam hac de re tenuit prompsitque sententiam“ (cf. l. 1. n. 34; l. 2. n. 33. 36.).

Iidem spectari quoque possunt *formaliter*, ut nimirum genitores fidelium sunt. „Non solum filii, inquit *Augustinus* cont. Julian. l. 1. n. 7, sed et patres Ecclesiae sunt. Ex illo numero sunt, de quibus praedictum est: Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram. Ex qua filii regeneratione sunt, ejus patres facti sunt, ut docerent.“ Ac l. 2. n. 37: „Talibus post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit, ideo profanas voces vestra novitatis expavit.“ Num vero putas,

eos, qui hoc modo fidelium genitores sunt, unanimi consensu aliquid tamquam doctrinam Apostolicam tradere posse, quin id revera doctrina Apostolica sit?

Denique considerari Patres possunt *juridice*. Quo considerandi modo ob oculos habito apparent esse ii, qui speciali providentia Dei excitati sunt, ut bonum depositum egregie custodiant, defendant, exponant, sacras scripturas enarrent, christianoque populo velut viae duces praeeant. Quod tum iis compertum habemus, quae historia de Patribus refert, tum persuasione chrisiani nominis, quam multiplici ratione Veteres exprimunt. Ut puta *Vincentius Lirinensis* commonit. c. 28, qui citatis verbis I. Cor. 12. 28 haec scribit: „Hos ergo (beatos Patres) in Ecclesia Dei divinitus per tempora et loca dispensatos quisquis in sensu catholici dogmatis unum aliquid in Christo sentientes contempserit, non hominem contemnit, sed Deum; a quorum veridica unitate ne quis discrepet, impensius obtestatur idem Apostolus dicens: *Obsecro autem vos, fratres, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia.* Quod si quis ab eorum sententiae communione desciverit, audiet illud ejusdem Apostoli: *Non est Deus dissensionis, sed pacis*, id est non ejus, qui a consentiendi unitate defecerit, sed eorum, qui in consentiendi pace permanserint, *sicut in omnibus*, inquit, *ecclesiis sanctorum doceo*, id est catholicorum, quae ideo sanctae sunt, quia in fidei communione persistunt.“ Eandem sententiam continent haec *Leontii Byzantini* l. 1. cont. Nest.: „Post Apostolos et Prophetas Deus in Ecclesia doctores posuit secundum providentiam Spiritus sancti incomprehensam in opus ministerii ad aedificationem corporis Christi. Quare qui Patres illos non recipit, qui in Ecclesia clari et celebres sunt, plane ordinationi et constitutioni Dei resistit.“ Concilia quoque idem testantur. Sic concilium nicaenum secundum cum Tarasio Patres docet dispensatos a Christo tamquam orthodoxae fidei custodes. Et concilium Romanum sub Martino I. affirmat, sanctos Patres

datam ipsis a Christo lucernam gratiae et scientiae non sub modio infructuosae obscuritatis abscondisse, sed super candelabrum salutiferae doctrinae extulisse; ipsis a Patre luminum omne datum bonum et omne donum perfectum ad plenitudinem catholicae ejus et apostolicae Ecclesiae mandatum esse. Cum hac vero Patrum notione conciliari plane non potest, quod unanimis ipsorum conspiratio a veritate sit aliena.

Jam itaque quatuor hos modos considerandi sanctos Patres si conjungas, facile dabis, non tantum certo, sed infallibiliter doctrinam revelatam ipsorum consensu contineri. Profecto haec semper fuit christiani nominis persuasio, tum extra concilia tum in ipsis pronuntiata. De *concilio ephesino* testimonium dicit Vincentius Lirinensis commonit. c. 29: „Diximus in ipsa Ecclesiae vetustate duo quaedam vehementer studioseque observanda, quibus penitus inhaerere deberent, quicumque haeretici esse nollent: primum si quid esset antiquitus ab omnibus Ecclesiae catholicae sacerdotibus universalis concilii auctoritate decretum; deinde si qua nova exurgeret quaestio, ubi id minime reperiretur, recurrendum ad sanctorum Patrum sententias, eorum dumtaxat, qui suis quisque temporibus et locis in unitate communionis et fidei permanentes magistri probabiles extitissent, et quidquid uno sensu atque consensu tenuisse invenirentur, id Ecclesiae verum atque catholicum absque ullo scrupulo judicaretur. Quod ne praesumptione magis nostra, quam auctoritate ecclesiastica promere videremur, exemplum adhibuimus sancti concilii, quod ante triennium ferme in Asia apud Ephesum celebratum est . . ., ubi quum de sanciendis fidei regulis disceptaretur, ne qua illic forsitan profana novitas in modum perfidiae ariminensis obreperet, universis sacerdotibus, qui illo ducenti fere numero convenerant, hoc catholicissimum, fidelissimum atque optimum factu visum est, ut in medium sanctorum Patrum sententiae proferrentur . . ., ut scilicet rite atque solemniter ex eorum consensu atque decreto antiqui dogmatis religio confirma-

retur, et profanae novitatis blasphemia condemnaretur.“ Patres *concilii chalcedonensis* novimus, audita Leonis Magni epistola, in quam hic tam latinorum, quam graecorum Patrum testimonia congesserat, magna voce acclamasse: „Haec est fides Patrum! Omnes ita credimus.“ Definitio vero, quam ediderunt, ab his verbis exorditur: „Sequentes sanctos Patres“. Ac *concilium quintum*, recensitis singillatim utriusque Ecclesiae Patribus, docet, se sequi et suscipere omnia, quae ipsi aliique orthodoxi conscripserint et exposuerint. Et, quod supra jam allegavimus, *concilium Romanum* omnium canonum hoc voluit esse initium: „Si quis secundum sanctos Patres.“ *Concilium sextum* etiam doctrinam sanctorum Patrum proponit velut medium traditionem continens. Ac *concilii septimi* patres se dicunt sequi „divinitus inspiratum (excitatum) sanctorum Patrum magisterium“, ac horum doctrina commemorata addunt: „id est traditio sanctae catholicae Ecclesiae.“

Sed extra concilia quoque eadem christiana persuasio innumeris testimoniis patefit. Duo tantum afferimus, Graecorum alterum, alterum Latinorum. *Cyrillus Alexandrinus* ad anathematismum octavum: „Mens humana, inquit, licet nonnunquam propter amorem sui a recta via egrediatur, et a veris dogmatibus discedat, ferme semper gravatur et formidat suas cogitationes absurditatis damnare, sed tamen se ipsam facile corriget, si labores scrutata fuerit sanctorum Patrum, qui ab omnibus de rectitudine et certitudine dogmatum celebrantur. Tum suam recte fidem explorabit. Omnes enim, quibus integrum cor est, illorum sententias sequi contendunt, quia et ipsi, Evangelica et Apostolica traditione mentem quum implevissent, et ex sacris scripturis sermonem fidei recte et citra reprehensionem tractassent, mundi fuere luminaria, sermonem vitae continentes, ut scriptum est.“ Cum Cyrillo conjungimus *Augustinum*, qui maxime in duobus primis contra Julianum libris, ut hunc Pelagianorum ducem prosterneret, hoc utitur argumento: Doctrina, quae vim omnem gratiae a natura repetit, Patribus, quotquot in Ecclesia ante flo-

ruerunt, ignota, imo eorum sententiae contraria, ideoque repudianda est. Ubi inter alia memorabilis ejus sententia est, discedentem ab unanimi Patrum doctrina discedere etiam ab universali Ecclesia et veritate. Tum illa, se quidem sive pro sua fide privatim, sive quum eam scripto doceret et pro concione populo explicaret, velut regulam, quam sequeretur, Patres sibi proposuisse. „Quod credunt, ait, credo; quod tenent, teneo; quod docent, doceo; quod praedicant, praedico."

Atque hinc intelligis, quo spectent haec Augustini de peccat. merit. et remiss. l. 3. n. 14: „Haec non ideo commemoravi, quod disputatorum quorumlibet sententiis tamquam canonica auctoritate nitamur, sed ut appareat, ab initio usque ad praesens tempus, quo ista novitas orta est, hoc de originali peccato apud Ecclesiae fidem tanta constantia custoditum, ut ab eis, qui dominica tractarent eloquia, magis certissimum proferretur ad alia falsa refutanda, quam id tamquam falsum refutari ab aliquo tentaretur." Videlicet his ipsis verbis docemur, quod affirmamus, Patrum testimoniis ipsam Ecclesiae fidem traditionemque fieri manifestam, solum quod simul innuat Augustinus, consensui infallibilitatem non inde convenire, quod consentientium singuli per se et subjective sint infallibiles, sed inde, quod infallibiliter cum Ecclesiae fide et Apostolica traditione sit connexus. Infallibilis autem hujus connexionis ratio in eo est sita, quod consensus, quem diximus, esse in errorem non potest, quin aut effectus aut causa traditionis corruptae sit.

Bene quidem haec habent, dices, sed quid sibi volunt ista, quae ad Hieronymum Augustinus epist. 82. scribit: „Alios praeter scripturas libros ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos vel probabili ratione, quod a veritate non abhorreant, persuadere potuerunt"? Scilicet haec dicta sunt, non de auctoritate consensus, sed de auctoritate singulorum Patrum.

Opponunt nobis quoque Tertullianum praescript. c. 3. quaerentem: „Ex personis probas fidem, an ex fide personas?“ In eo nimirum hoc in loco Tertullianus est, ut solvat objectionem haereticorum, quod nempe viri quoque non nullius nominis ad ipsorum castra defecerint. Nihil hanc argumentationem valere, Tertullianus reponit haereticis, quum singuli quique a fide deficere possint, nonnisi ii autem pondus momentumque habeant, qui in fide ac communione Ecclesiae usque ad finem perseverarint. Unde illi quaestioni hanc aliam praemittit: „Quid ergo si Episcopus, si diaconus, si virgo, si doctor, si etiam martyr lapsus a regula fuerit, ideo haereses veritatem videbuntur obtinere?“ Subnectit vero ei responsionem: „Nemo sapiens est, nisi fidelis; nemo major, nisi christianus; nemo autem christianus, nisi qui ad finem usque perseveraverit.“ Quare nec de auctoritate consensus Patrum, nec de auctoritate Patrum singulorum hic Tertullianus tractat. Si vero de hac Tertulliani dictum accipere velis, illud explicandum est his Vincentii Lirinensis commonit. c. 17. verbis: „Magna profecto res et ad discendum utilis et ad recolendum necessaria, quam etiam atque etiam exemplorum molibus illustrare atque inculcare debemus, ut omnes vere catholici noverint se cum Ecclesia doctores recipere, non cum doctoribus Ecclesiae fidem deserere debere.“

Quaeri hic solet, an consensum Patrum, ut vim, quam ei adscripsimus, habeat, esse oporteat in doctrinam fidei ut talem propositam. Reponimus, consensum Patrum probare aliquid ad fidem pertinere toties, quoties in id ita fertur, ut vel aperte vel modo tractandi significetur, ipsum haberi tamquam veritatem in deposito contentam. Quod itaque primo in Patrum consensu considerandum est, non est natura doctrinae, in quam existit, sed est modus, quo a Patribus doctrina proponitur.

Thesis XVI. Par pondus tribuendum explorato totius occidentalis Ecclesiae suffragio; tum standum quoque, caeteris minime reclamantibus, conspirationi Patrum numero plurium, doctrinae ac famae celebritate insignium, qui diversis aetatibus diversisque locis inclaruerint; imo doctrinae Patrum, numero licet paucorum, si iidem, caeteris denuo haud reclamantibus, certis in adjunctis tuto ac fidenter ad traditionem Majorum provocaverint.

Dem. part. I. Conficitur haec a *S. Augustino* cont. Julian. l. 1. c. 4. n. 14. 15. Una certe ac eadem est totius Ecclesiae fides. Si igitur constat, omnes occidentalis ecclesiae Patres unanimiter in eandem conspirare fidem, totius Ecclesiae fides comperta habetur. „Non est ergo, cur provoces ad Orientis antistites; quia et ipsi utique christiani sunt, et utriusque partis terrarum fides ista una est, quia et fides ista christiana est: et te certe occidentalis terra generavit, occidentalis regeneravit Ecclesia. Quid ei quaeris inferre, quod in ea non invenisti, quando in ejus membra venisti? Imo quid quaeris ei auferre, quod in ea tu quoque accepisti?“

Occidentalis Ecclesia a Deo donata est praerogativis insignibus, ideoque testimonium Patrum hujus partis Ecclesiae speciali honore dignum est. „An ideo contemnendos putas, quia occidentalis Ecclesiae sunt omnes, nec ullus est in eis commemoratus a nobis Orientis episcopus? Quid ergo faciemus, quum illi Graeci sint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare.“

Sed, quod caput est, occidentalis Ecclesia summa illa ornata est praerogativa, quod primam complectitur totius orbis sedem. „Cui Ecclesiae praesidentem beatum Innocentium audire si voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit ille vir sanctus africanis respondere conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica sedes et Romana cum caeteris tenet perseveranter Ecclesia? Et tamen ejus successorem

(Zosimum) crimine praevaricationis accusas, quia doctrinae apostolicae et sui decessoris sententiae noluit refragari. Sed de hoc interim taceo, ne animum tuum, quem sanare potius cupio, quam irritare, laudibus tui damnatoris exulcerem. Sancto Innocentio vide quid respondeas, qui nihil aliud de hac re sapit, quam quod isti, in quorum te conventum, si tamen prodest aliquid, introduxi; cum his etiam ipse considet, etsi posterior tempore, prior loco."

Itaque propria ratio hujus partis thesees in eo est sita, quod consensus Patrum Ecclesiae occidentalis necessario connexus est cum traditione et fide ejusdem Ecclesiae; haec autem, quum traditionem fidemque ecclesiae Romanae includat, necessario traditio et fides totius Ecclesiae sit.

Demonstratur eadem veritas inde, quod tam in actis synodalibus, quam in singulorum Veterum operibus promiscua semper fiat ad occidentales et orientales Patres provocatio. „Sequimur per omnia (ita exempli gratia *concilium quintum* loquitur) sanctos Patres et Doctores Ecclesiae, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum et Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Johannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem, Proclum, et suscipimus omnia, quae de recta fide et condemnatione haereticorum exposuerunt." Hac siquidem agendi ratione manifesta fit persuasio, absurde et contra oeconomiam institutionis Christi confingi dissidia inter occidentales et orientales Patres, quasi ab his negari aut in dubitationem adduci possit, quod ab illis affirmatur; e contra cum Irenaeo firmiter tenendum esse, Ecclesiae per totum orbem diffusae unam esse animam, unum cor ac os unum.

Nova confirmatio accedit ex constanti studio, quo Patres occidentales prosequuti sunt orientales, ac laudibus, quibus eorum scientiam, sapientiam, pietatem celebrarunt. Huc pertinent, quae habent *Hilarius* lib. de syn.; *Ambrosius* in hexaem.; *Augustinus* cont. Julian. l. 2. c. 10.; *Hieronymus* de script. eccl.; *Coelestinus* epist. ad Maxi-

mianum Constant.; *Gregorius Magnus* epist. l. 8. epist. 35; *Agatho* epist. ad Imperat. lecta in act. 4. conc. 6; *Gregorius secundus* epist. ad Leonem Isauricum (cf. Habert. theol. graec. Patrum l. 1. c. 1. n. 3. sq.). Nunquam siquidem ejusmodi studium extitisset, si aliam, quam suam. orientalium Patrum fidem occidentales deprehendissent, et nisi eandem communem praedicationem et doctrinam se cum orientalibus Patribus conjungere et unire perspexissent. Quare se unanimi consensione occidentales Patres aliquam doctrinam asserere constat, exploratum est, orientales quoque Patres in eandem convenire.

Sapientissime igitur archipraesul Nicaenus, Bessarion, in oratione dogmatica coram florentino concilio habita docuit, negari veritatem a nobis statutam non posse, nisi Christianismo renuntiare ac affirmare velimus, non eundem Spiritum in orientalibus loquutum, qui per occidentales loquutus est, aut Spiritum sanctum sibimetipsi contrarium esse.

Dem. part. II. Haec probatur inprimis usu tam synodorum, quam Patrum singulorum. Quod ad synodos spectat, plures supra, Petavio praeeunte, adduximus, intra quas erat etiam ephesina. Verum de hac opportunum erit audire quoque Vincentium Lirinensem commonit. c. 30. Recensitis „viris, quorum in concilio vel tamquam judicum vel tamquam testium scripta recensita sint“, continuo subdit: „Hi sunt igitur omnes apud Ephesum sacrato decalogi numero magistri, consiliarii, testes judicesque producti; quorum beata illa synodus doctrinam tenens, consilium sequens, credens testimonio, obediens judicio, absque taedio, praesumptione et gratia de fidei regulis pronuntiavit. Quamquam multo amplior Majorum numerus adhiberi potuerit, sed necesse non fuit; quia neque multitudine testium negotii tempora occupare oportebat, et decem illos non aliud vere sensisse, quam caeteros omnes collegas suos, nemo dubitabat.“ Nomine Patrum loquatur *Augustinus* cont. Julian. l. 1. c. 3: „Sed tu, qui tam crebro nobis Manichaeorum nomen opponis, quos et quales viros

et quantos fidei catholicae defensores tam exsecrabili criminatione appetere audeas, si evigilas, intuere. Non quidem omnium de hac re sententias, nec omnes eorum, quos commemorabo, me congregaturum esse polliceor, quia nimis longum est, et necesse esse non arbitror; sed ponam pauca paucorum, quibus tamen nostri contradictores cogantur erubescere et cedere, si ullus in eis vel Dei timor, vel hominum pudor tantum malum pervicaciae superaverit."

Et certo ipsa rei natura hanc veritatem demonstrat. Si enim plures habes Patres, qui insignes et doctrina et sanctitate sunt et diversis aetatibus diversisque in locis inclaruerunt, admitti nequit, eos aut falsos esse aut fallere voluisse. Id vero si admitti non potest, ex ipsorum in aliqua doctrina ad fidei depositum pertinente conspiratione certo omnium Patrum consensio inferri potest, idque tum maxime, quum nullos ex adverso, qui reclament, Patres habes. Historia enim magistra discimus, quoties in negotio fidei aliqua sententia a communi Patrum doctrina aliena in lucem prodierit, vel quae novitatis suspicionem excitaverit, toties contradictores eam invenisse. Imo fieri hoc debuisse perspicimus, si animum ad munus adverti mus, quod Pastoribus impositum est, conservandi tutandique fidem, idque omni studio procurandi, ut fidelium animae non abnormibus opinionibus, sed verbo Dei alantur. Hinc verissime *Basilius* de Spiritu sancto c. 29. scripsit, non sustinuisse, qui in Ecclesiae administratione sibi succederent, ut additamenta postea inventa recipe rentur.

Dem. part. III. Adjuncta, quae hic ob oculos habe mus, sunt potissimum *quaestio, quae tractatur*, quae nimirum ad fidem pertineat, tum *indoles operis, in quo de ea tractatur*, quae accommodatissima tum est, quum est polemica, denique *notitia, quae de opere habebatur*, quae scilicet maxime diffusa fuerit. Jam his adjunctis obtinentibus, ex paucorum quoque Patrum ad traditionem con

fidenter provocantium suffragio certo de ea constare, per se patet. Et profecto fuit haec sententia veterum ecclesiasticorum virorum, puta *Augustini,* qui saepe ad unum Cyprianum, maxime contra Pelagianos, provocat. Ut unum adducamus testimonium, l. 4. cont. duas epist. pelagian. c. 8. scribit: „Beatissimum, corona etiam martyrii gloriosissimum Cyprianum, nec Africanis atque occidentalibus tantum, verum et orientalibus ecclesiis fama praedicante et scripta ejus longe lateque diffundente notissimum, etiam ipse haeresiarches istorum Pelagius cum debito certe honore commemorat, ubi testimoniorum librum scribens, eum se asserit imitari, hoc se dicens facere ad Romanum, quod ille fecerat ad Quirinum. Videamus ergo, quid de originali peccato, quod per unum hominem intravit in mundum, senserit Cyprianus.“ Ac contra Julianum l. 1. c. 5. Gregorium Nazianzenum appellat his verbis: „Sed non tibi deerit magni nominis et fama celeberrima illustris Episcopus etiam de partibus Orientis, cujus eloquia ingentis merito gratiae etiam in linguam latinam translata usquequaque claruerunt. Sedeat ergo cum istis patribus etiam sanctus Gregorius, et cum eis tuae criminationis inanem patiatur invidiam, dum tamen cum eis contra novitiam pestem vestram medicinalem proferat et ipse sententiam. . . . An tibi parva in uno Gregorio episcoporum orientalium videtur auctoritas? Est quidem tanta persona, ut neque ille hoc nisi ex fide christiana omnibus notissima diceret, nec illi eum tam clarum haberent atque venerandum, nisi haec ab illo dicta ex regula notissimae veritatis agnoscerent. Sed si vis, addimus huic et sanctum Basilium. . . . Quid hinc plura? Vide jam, utrum sufficiant tibi ex Orientis partibus duo isti tam insignes viri et tam clara praediti sanctitate. Hinc audis *Georgium Scolarium* in concilio florentino Graecos admonentem, ut Latinis cedere velint, utpote qui sex Patres in medium adduxerint, qui Spiritus sancti ex Filio processionem doceant; ac *Bessarionem* contendentem, unum Cyrillum cum Epiphanio, quoniam et doctrina pietateque eximii fuerint,

et adversus haereticos decertarint, satis esse omnibus debere, ut quaestio dirempta censeatur.

Scholion. Ad argumentum de sanctis Patribus complendum quaedam addenda sunt. Ac primo quidem improbandos omnes esse, qui facile dissensiones inter Patres comminiscuntur. Alieni enim sunt ab agendi ratione conciliorum, veterum scriptorum et doctissimorum quorumque; et fingunt aliquid, quod sicut a propria Patrum ratione abhorret, ita oeconomiam a Deo volitam discrimini objicit. Synodi non tantum universim et infinite ad Patrum traditionem provocant, sed etiam ad eorum consensionem, de ea gloriantur atque eos execrantur, qui de conspiratione Patrum detrahunt ipsosque inter se committunt (cf. conc. nicaen. apud Athanas. epist. ad Afros; conc. constant.: ephes.; chalced; conc. quint. et octav.: later. sub Martino I. ac epist. decretales et dogmaticas Martini I., Agathonis, Hadriani I. et patrum francof.). Praeclarissima sunt, quae hac de re *Bessarion* in concilio florentino, applaudentibus ejus patribus, disseruit. Necessarium esse, ut sancti doctores tam orientis, quam occidentis inter se conveniant, quatuor rationibus probat. Primo, quod in iis non mendacii, sed veritatis Spiritus loquutus sit. Tum quod contrarium affirmari nequeat, quin Patres gentilium philosophis et praeconibus comparentur. Praeterea quod contrarium asserentes ipsam fidem subvertant, quum Patres non humanae sapientiae persuasionibus, non verborum artificiis, nec naturalibus rationibus et syllogismis, sed auctoritate tantum praedecessorum innixi horum tantum verba et sensa retulerint. Denique quod ipsam oeconomiam fidei subvertant et apertae Majorum sententiae contradicant.

Eadem quoque sententia fuit veterum scriptorum. Sic Athanasius de syn. Patres inter se non discordare, sed concordare scribit. Ac Theodoretus in dial. 3. nec temporum discrimen, ait, nec locorum diversitatem Patrum turbare consonantiam, sed eos lyrae similes esse, quae multas quidem diversasque habet chordas, concentum

tamen unum: Et in conc. nicaen. II. Tarasius plaudentibus omnibus, Patres universos ejusdem dixit existere spiritus, et idipsum docere et praedicare omnes.

Hinc doctissimi quique sui muneris esse duxerunt, dissidia, si quae inter Patres existere videbantur, quam aptissime conciliare. De quo munere gravissime disputarunt *Thomas* in opusculo ad Urbanum IV.; *Bessarion* in oratione citata; *Georgius Scolarius* in orat. 1. et 3. ad patres florentinos.

Et certe, ut mittamus, plerosque Patres ad corpus authenticorum testium pertinere, novimus, eos esse viros scientia ac pietate illustres, divinitus electos et propter hanc electionem multis tam naturae, quam gratiae donis ornatos, ut fidem propagarent, defenderent, explicarent, ac luminum instar essent in tenebris hujus mundi. Inter eos autem, qui tales sunt, quis dissensiones facile exstare arbitrabitur? Scilicet ii soli, quorum interest, oeconomiam fidem demonstrandi et vindicandi subvertere, Patres inter se dissidere continuo jactabunt. Ac ita revera contigisse, ut vetus historia de Nestorianis, Eutychianis, Iconomachis, ita recentior de Protestantibus et Jansenianis testatur.

Secundum, quod addendum est, sunt leges et regulae, quas in enarrandis Patrum scriptis observemus oportet; de quibus plura habet Petavius prolegom. c. 2. Curandum primo est, ut erga Patres pium et placidum voluntatis affectum cum reverentia et honore servemus nec contemptim eos aut inciviliter habeamus, si qua in re titubasse visi sunt nobis aut ab illis uteumque dissentimus. Meminisse oportet, quod pulchre Facundus Hermianensis scripsit, errores Patrum esse luminarium defectus, quae licet nonnumquam splendoris sui detrimenta sustineant, non tamen amittunt luminaria esse, quod sunt. Singulare nobis hujus regulae observatae exemplum praebet Augustinus adversus Cypriani errorem contra Donatistas disputans (de bapt. l. 6. c. 2.).

Cavendum deinde est, ne temere illos ac nisi magno cum judicio notemus erroris, sed si qua in eorum libris

inveniuntur ambigue dicta, quae ex aliis eorum sententiis explicari excusarique possunt, teneamus hoc potius, quam illis falsae aliquid opinionis adscribamus. Hanc regulam copiose ac prudenter Facundus Hermianensis in libris de tribus capitulis praescribit. Sic speciminis gratia l. 9: „Quemadmodum, inquit, calumniantium haereticorum est, ex dubiis et obscuris, quae certa et manifesta sunt, male interpretari, ita solitum est prudentiae ac pietatis catholicae, ex indubitatis atque evidentibus et firmare ambigua et latentia declarare, ideoque melius facimus, si virorum in pace Ecclesiae mortem obeuntium scripta melius interpretemur."

Tertio nefas est, ad vivum nimis resecare certas quasdam Patrum sententias, quibus divina dogmata illustrarunt. Notat Theodoretus adversus haereses, Patres haud raro modum excessisse in disputandis ac declarandis divinis dogmatibus contra haereticos; id nempe ipsis contingit, quod stirpium cultoribus, qui erigere volunt incurvam aliquam plantam. Quod Hieronymo interdum accidisse novimus, nec non Augustino, et ex Graecis Chrysostomo.

Quarto et id animadvertendum est, Patres non omnibus in libris ac locis omnia tradere, sed in unum intentos reliqua praetermittere aut levius et obscurius exponere, praesertim de quibus nulla adhuc exorta quaestio sit aut adversantium haeresum velut tempestas ac procella, contra quam acriore studio vigilantiaque niti oporteat. Errant igitur, qui ex Patrum silentio argumenta petunt. Canone hoc frequenter Augustinus utitur contra Pelagianos.

Denique judicium de sententia alicujus Patris non ex nudis vocabulis petendum est. Sciendum namque est, non quavis aetate easdem notiones iisdem vocibus subjectas fuisse. Maxime vero ducenda est ratio consilii, quod scribendo persequebantur Patres.

Sequitur tertium, quod addendum esse censemus, nimirum assignari posse criteria, quibus, si forte in diversa quandoque Patres concesserint, statui certo possit, per

quos veluti sinceros canales traditio divina ad nos usque defluxerit. Quae revocari huc possunt:

Primo si constat, ante dissensum extitisse consensum, eo ipso certo constat, eos, qui sua sententia a consensu deflexerint, a sententia traditionis deflexisse.

Secundo si constat, dissensionis, quae subsequuta est pacificam possessionem veritatis, quamvis nondum aperte et, ut Vincentius Lirinensis loquitur, instanter praedicatae, rationes aliunde quam ex traditione fuisse desumptas, constat quoque, quae pars veritatem habeat.

Tertio si constat, dissentientibus continuo fuisse repugnatum, constat etiam, ipsorum sententiam non fuisse sententiam traditionis.

Item si constat, dissensione in dies decrescente antecedentem consensionem denuo praevaluisse, profecto exploratum est, in illa divinam traditionem haudquaquam extitisse.

Denique si constat, dissensionem judicio authentico sublatam fuisse, dubitatio omnis deleta est. Hinc illud Augustini notissimum: Roma loquuta est, causa finita est.

Thesis XVII. Certum quoque traditionis testimonium continetur unanimi et constante theologorum scholae sententia de aliqua doctrina tamquam ad depositum fidei pertinente.

Dem. Ante demonstrationem notanda quaedam sunt, quorum cognitio aut necessaria aut valde utilis est. Quum consensioni theologorum scholae adscribimus, quod contineat testimonium traditionis, id non sic intellectum volumus, quasi per se, ratione sui ac insita auctoritate divinam traditionem tibi sisteret; non enim consensus theologorum, sed consensus testium authenticorum promissam sibi habet assistentiam Christi et Spiritus sancti in deposito fidei conservando, propagando et explicando, ab omni errore praeservantis; sed ita id in-

tellectum volumus, quod consensus theologorum, certae si adsint conditiones, sistat menti authenticam testificationem testium authenticorum.

Deinde nomine *theologorum scholae* ii omnes nobis veniunt, qui sub tutela, providentia et vigilantia Episcoporum ipsiusque Romani Pontificis doctrinae revelatae docendae, explicandae et propugnandae operam navarunt suam in academiis et scholis suprema auctoritate ecclesiastica erectis. Itaque inprimis theologos scholae revera theologos esse necesse est, hoc est viros, qui toti sint in explendo munere theologiae proprio. Quod munus triplex potissimum assignatur. *Primum* est, inquit Melchior Canus de locis theol. l. 8. c. 2.. „*ut quae in sacris litteris et Apostolorum traditionibus abdita continentur, ea in lucem quasi e tenebris eruantur.* Colligit enim theologus ex principiis fidei a Deo revelatis conclusiones suas, atque in principiis ipsis implicitas per argumentationem naturae consentaneam explicat.“ Quid proinde de iis existimandum, qui id praeclari magnique theologi esse censent, nihil ultra, quam quod divinis litteris proditum est, et quod historia fidei praeclucente comperimus, definire? Num, ut Cani verbis loquamur, quidquam absurdius esse potest, „quam sola disciplinae principia habere definita, conclusiones vero, quae certo atque evidenti syllogismo ex illis conficiuntur, aut ignorari velle, aut in ambiguo relinqui?“ *Alterum* est, *ut fidem nostram contra haereticos defendat.* Nam, ut Petrus Lombardus ex Augustino de Trin. elicit, scire, quemadmodum fides catholica et piis opituletur et adversus impios defendatur, res est ad virum theologum maxime pertinens. „Quodsi scholae doctor non possit docere fideles doctrinam sanam, et eos, qui sanam non habent, redarguere, apud vulgus theologus esse aliquando poterit, revera nunquam erit.“ *Tertium* denique est, *ut Christi Ecclesiaeque doctrinam, quantum fieri potest, ex disciplinis humanis aut illustret aut etiam confirmet.* Haec vero omnia a theologis praeterea exercita volumus sub tutela, providentia et vigilantia Episcoporum Romanique

Pontificis in academiis et scholis suprema auctoritate ecclesiastica erectis. Si secus fuerit, ad eos theologos scholae minime pertinent, de quibus praesens nostra thesis est.

Horum porro theologorum *unanimen* consideramus consensum, non vero consensum theologorum hujus illiusve scholae, puta thomisticae aut scotisticae. Multorum enim etiam theologorum testimonium, si alii contra ipsum pugnant viri docti, ad faciendam fidem, inquit Melchior Canus l. c. 4, non plus valet, quam vel ratio ipsorum vel gravior etiam auctoritas comprobarit. „Videlicet in scholastica disputatione plurium auctoritas obruere theologum non debet, sed si paucos viros, modo graves secum habeat, poterit sane adversus plurimos stare. Non enim numero haec judicantur, sed pondere.“ Hinc graviter arguendos esse infert scholasticos nonnullos, qui ex opinionum, quas in schola acceperint, praejudiciis viros alios catholicos notis gravioribus inurant, idque tanta facilitate, ut merito rideantur. „Nobis autem schola nostra magnam quidem licentiam dat, ut quodcumque maxime probabile occurrat, id nostro jure liceat defendere, sed non licet tamen eos, qui nobis sunt adversi, temere ac leviter condemnare. Alia sunt scholae placita, de quibus mox dicturi sumus, alia sunt praecepta sectae, de quibus modo loquimur. Quae ab illis dissident, ea notam habent, quae ab his, non habent. Nec enim si quid aut Scoticis aut Thomisticis pronuntiatis contrarium est, error illico est.“

Eorundem ad haec consensum consideramus *constantem*, consensum nimirum non unius dumtaxat aetatis, quem sequutus deinceps fuerit dissensus, sed consensum, qui per longum tempus duraverit et per subsequentem dissensum non desierit. Consensus enim, qui temporis progressu desinit, non certe rata firmaque sententia est, securis nixa principiis, sed tantum opinio est, quae ante plenius argumentorum et monumentorum examen latius mentibus dominatur.

Consideramus denique consensum de aliqua doctrina *tamquam ad fidem pertinente* seu *tamquam credenda et catholica fide tenenda*, non autem consensum de aliqua doctrina ut simpliciter vera. Huic vero etiam consensui magna inest vis, adeo ut ei refragari temerarium sit. „Nam in quacumque arte, ait Melchior Canus, peritis credendum esse, ratio monstrat. Nec enim sanus haberetur, qui nautis in navigandi ratione non crederet. Qui igitur in arte hac de theologiae dogmatibus disserendi experientibus et exercitis nullam fidem habet, aut parum sanus, aut certe temerarius est. Deinde in Clement. unic. de summa Trinitate patres concilii Viennensis: Opinionem illam, inquiunt, quae dicit tam parvulis, quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tamquam probabiliorem et doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem, fore a Catholicis eligendam. Si ergo in re, quae olim inter ipsos etiam scholasticos theologos controversa fuerat, opinio concors iuniorum tanti apud patres in concilio fuit, quanto magis nos res omni tempore ab schola praescriptas tenere ac revereri debemus. Et si opinatio ipsa theologorum recentiorum communis fidem facit concilio illudque inclinat, ut definiat hujusmodi opinationem esse tenendam, quid si non ex opinione, sed ex certo et minime circumductili animo quidquam theologi omnes praefinierint? An non existimas, concilium Viennense pro ejusdem dogmatis firmiter in schola receptis graviore censura judicaturum? Scholae igitur communem consensum nonnisi impudenter et temere rejiciemus. Praeterea quum inter ipsos theologos scholasticos magna fere ubique dissensione certetur, ita ut in hac parte jure forsitan reprehendantur, certe non omnes idem asserrent, nisi eodem spiritu divino moverentur." Quod ultimum utique, ut patet, non sic intelligendum est, quasi consensui scholasticorum promissa sit assistentia Spiritus sancti ab errore praeservantis, sed tantum quod consensus inter omnes theologos in aliqua doctrina tamquam vera asserenda, vix aliam causam ha-

bere possit, quam spiritum fidei, qui a Spiritu sancto in Ecclesia conservatur.

Nunc ad demonstrationem accedimus. Schola duobus potissimum modis considerari potest. Primo, quatenus auctoritate a praesulibus Ecclesiae accepta atque iisdem tutoribus et moderatoribus theologicam scientiam curat et excolit atque eos instruit, quibus aliquando munus plebem christianam instituendi imponendum est. Secundo, quatenus ad magisterium authenticum et infallibile Ecclesiae ut discipula refertur et subjectionem ei debitam servat. Atqui sive primum sive alterum scholam considerandi modum ob oculos habes, plane evidens censendum est, unanimem et constantem ejus consensum in aliquam doctrinam tamquam ad fidem pertinentem esse certum testimonium de traditione.

Ad duos hos scholam considerandi modos spectasse videtur summus Pontifex Pius IX. in litteris ad Archiepiscopum Monacensem datis. Primum quidem, quum scriberet: „Qua falsa opinione (contra veterem scholam et contra doctrinam summorum illorum doctorum, quos propter admirabilem eorum sapientiam et vitae sanctitatem universalis veneratur Ecclesia) ipsius Ecclesiae auctoritas in discrimen vocatur, quandoquidem ipsa Ecclesia non solum per tot continentia saecula permisit, ut ex eorumdem doctorum methodo et ex principiis communi omnium catholicarum scholarum consensu sancitis theologica excoleretur scientia, verum etiam saepissime summis laudibus theologicam eorum doctrinam extulit illamque velut fortissimum fidei propugnaculum et formidanda contra suos inimicos arma vehementer commendavit.“ Alterum vero, quum scriberet, subjectionem divinae fidei debitam „limitandam non esse ad ea, quae expressis oecumenicorum conciliorum aut Romanorum Pontificum hujusque Apostolicae sedis decretis definita sint, sed ad ea quoque extendendam, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem magisterio tamquam divinitus revelata tradantur ideoque uni-

versali et constanti censensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retineantur.“

Impugnare hanc thesim quidam recentiores conantur eo nomine, quod theologi scholae communi consensu plures sententias professi fuerint, quas nunc aut omnino falsas aut certe minus probabiles habemus. Proferunt sententiam de potestate clavium, quae nullo modo ad culpam, sed tantum ad poenam absolvendam pertineat; sententiam de materia ordinis, quae sit traditio instrumentorum; sententiam de quatuor minoribus ordinibus, qui sint vera sacramenta. Verum quod ad primam attinet sententiam, nonnisi ignorantiae argumentum ederet, qui eam umquam communem fuisse assereret ac alio nomine eam insigniret, quam nomine opinionis aliquot vetustissimorum Scholasticorum, quae aetate S. Thomae jam ad obsoletas pertinuerit. De secunda notasse satis sit, universalem consensum in eam ut fide credendam nullum fuisse, in eandem vero, non quidem unanimem, attamen magnum consensum extitisse, quatenus est opinio probabilissima. Restat tertia sententia. Jam vero certo constat, eam numquam consensum totius scholae obtinuisse ac ab iis, qui eam propugnarunt, non ut fixam sententiam, sed ut opinionem admissam fuisse.

Thesis XVIII. Denique consensus fidelium et unanimis Christianorum suffragatio in iis, quae ad fidem christianam referuntur, annumerari criteriis debet, quibus divina traditio innotescit.

Dem. Habemus inprimis veteres scriptores, quorum animis haec persuasio firmissime inhaerebat. In mentem revocetur, quod *Tertullianus* scripsit praescript. c. 28: „Neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius, sinens ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per Apostolos praedicabat; ecquid verisimile est, ut

tot ac tantae in unam fidem erraverint? . . . Aliquos Marcionitas et Valentinianos liberanda veritas exspectabat: interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata perperam operata, tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata.“ Absonum censet Tertullianus, Ecclesias non rite intelligere et credere traditionem Apostolicam, ac non minus repugnare arbitratur, perperam credi, quam perperam praedicari. Similia his habet *Vincentius Lirinensis* commonit. c. 24: „Quid est profanas? quaerit exponens dictum Pauli I. Tim. 6. 20. Quae nihil habent sacri, nihil religiosi, ab Ecclesiae penetralibus, quae est templum Dei, penitus extraneas. Profanas, inquit, vocum novitates. Vocum, id est dogmatum, rerum, sententiarum novitates, quae sunt vetustati atque antiquitati contrariae; quae si recipiantur, necesse est, ut fides beatorum patrum aut tota aut certe magna ex parte violetur; necesse est, ut omnes omnium aetatum fideles, omnes sancti, omnes casti, continentes, virgines, omnes clerici, levitae et sacerdotes, tanta confessorum millia, tanti martyrum exercitus, tanta urbium, tanta populorum celebritas et multitudo, tot insulae, provinciae, reges, gentes, regna, nationes, totus postremo jam pene terrarum orbis per catholicam fidem Christo capiti incorporatus, tanto saeculorum tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse, quid crederet, pronuntietur.“ Ad ea scilicet, quae fieri nequeunt, refert, ut tota plebs christiana in aliquam doctrinam ut ad depositum fidei pertinentem consentiat, quin reipsa ad ipsum spectet. Addamus adhuc *Cassianum* de incarnat. l. 1. c. 6. Allatis ex Leporii confessione iis, quibus ejus de Verbi incarnatione sententia patefit: „Hanc ergo, inquit, ejus confessionem, id est Catholicorum omnium fidem, et omnes Africani episcopi, unde scribebat, et omnes Gallicani, ad quos scribebat, comprobaverunt. Neque ullus adhuc omnino extitit, cui fides haec sine infidelitatis crimine displiceret, quia pro-

fessio impietatis est, probatam negare pietatem. Sufficere ergo solus nunc ad confutandam haeresim deberet consensus omnium, quia indubitatae veritatis manifestatio est auctoritas universorum, et perfecta ratio facta est, ubi nemo dissensit. Ita ut qui contra hoc sentire nitatur, hujus prima statim fronte non tam sit audienda assertio, quam damnanda perversitas, quia praejudicium secum damnationis exhibuit, qui judicium universitatis impugnat: et audientiae locum non habet, qui a cunctis statuta convellit. Confirmata enim semel ab omnibus veritate, quidquid contra id venit, hoc ipso statim falsitas esse noscendum est, quod a veritate dissentit.“ Adeatur etiam *Athanasius* de syn. n. 4; *Gregorius Nazianzenus* epist. 2. ad Cledon.; *Hieronymus* cont. Vigilant. n. 4. 5; *Augustinus* de cura pro mort. gerenda n. 1. 2. 3; cont. Crescon. l. 1. c. 33; cont. epist. fund. c. 4.

Consentiunt theologi. *Petavius* de incarnat. l. 14. c. 2. persuasum sibi esse scribit, Beatissimam Virginem ab omni macula, etiam originali, esse immunem. „Movet autem me, inquit, ut eam in partem sim propensior, communis maxime sensus fidelium omnium, qui hoc intimis mentibus alteque defixum habent et quibus possunt indiciis officiisque testantur, nihil illa Virgine castius, purius, innocentius, alienius denique ab omni sorde ac labe peccati procreatum a Deo fuisse. Tum vero nihil cum inferis horumque rectore diabolo, adeoque cum qualicumque Dei offensa et damnatione commune umquam habuisse. Admonet autem nos egregie Paulinus Nolanus Episcopus, gravis inprimis auctor. epist. 4., „ut de omnium fidelium ore pendeamus, quia in omnem fidelem Spiritus Dei spirat.“ Praeclare *Johannes Fischerus* Roffensis in Anglia quondam episcopus, quanti ponderis sit publicum istud Catholicorum omnium suffragium, non impetratum expressumve praescripto aliquo, sed sponte sua editum, docet in libro, quem pro Angliae rege contra Lutherum scripsit, quum de communione utriusque speciei disputat in tertio capite. Nam inter argumenta caetera, quibus

commune institutum propugnat, illud affert, „quod nulla praeceptorum vi, sed consensu quodam tacito tam populi, quam cleri sensim irrepsit dicta consuetudo . . ., et quasi tacitis omnium suffragiis recepta fuit, priusquam ullo conciliorum decreto legimus eam fuisse firmatam. . . Apud eum populum haec consuetudo nata est, qui Spiritu sancto regitur. Nemini enim dubium est, Ecclesiam Spiritu sancto regi, nisi quis forte Christi non crediderit Evangelio. Nam in eo promissus est Spiritus ipse sanctus, Spiritus, inquam, veritatis, ut in Ecclesia maneat in perpetuum, et ut eam doceat et ducat in omnem veritatem annuntietque, quod Christi est, et quod audierit a Christo. . .“ Lege praeterea, si placet, *Vasquez* in p. 3. disp. 117. c. 6; et *Gregorium de Valentia* analys. fid. l. 8. c. 9.

Et profecto consensus fidelium unanimis vel eorum in iis, quae ad fidem pertinent, suffragatio est sensus catholicus, seu sensus totius Ecclesiae. Atqui sensus totius Ecclesiae manifeste est criterium, quo divina traditio innotescit. Nam si sensus totius Ecclesiae umquam cum errore esset consertus, falsum foret, quod Christus promisit, numquam praevalituras esse portas inferni contra Ecclesiam, falsum foret, quod idem promisit, se cum Apostolis eorumque successoribus futurum usque ad consummationem saeculi, et Spiritum veritatis cum ipsis mansurum usque in aeternum. Quis enim dubitare potest, eo spectare promissionem Christi, se et Spiritum veritatis mansurum apud Apostolos eorumque successores, ut immunis ab errore conservetur fides credentium per verbum ipsorum? Atqui si eo ista pertinet, non magis fieri potest, ut a veritate aliena sit consentiens fides credentium, quam ut cum ea repugnet unquam consentiens praedicatio docentium. Infallibilitas scilicet testificationis et doctrinae, quae assistentiam Christi et Spiritus sancti consequitur, tota ordinata est ad fidei conservationem, ideoque haec quoque infallibiliter obtinetur. Quod eo lubentius concedes, quo ex oeconomia fidei conservandae a Christo instituta certius est, consensum unanimem Christianorum in

iis, quae ad fidem spectant, necessario in praedicationem Ecclesiae refundi. Numquid vero consensus, qui in praedicationem Ecclesiae tamquam in principium, partiale quidem, ministeriale et extrinsecum, attamen verum, refundendus est, umquam cum errore consertus esse potest? Scilicet tum solum, quum in ipsa Ecclesiae praedicatione errorem esse posse arbitraris.

Caput III.

De Scriptura.

Sectio I.

De Inspiratione.

Thesis XIX. Illa collectio librorum, quae a Christianis generatim scripturae nomine designatur, dici et aestimari divina debet.

Dem. Id quidem inprimis ex ipsis constat scripturis, quas genuinas, authenticas et divinitus revelata continentes ponimus. Appellantur namque scripturae *ἱερὰ γράμματα* II. Tim. 3. 15; *ἅγιαι γραφαί* Rom. 1. 2.; *λόγια ὑπὸ τοῦ Θεοῦ* Heb. 1. 2, II. Pet. 1. 20; *λόγια Θεοῦ* Rom. 3. 2; *προφητεῖαι, γράμματα προφητικά* Rom. 16. 26, Matth. 26. 56; *γραφὴ θεόπνευστος* II. Tim 3. 16.

Accedit persuasio Judaeorum, cujus luculenti testes existunt *Philo* et *Josephus*. Ille in primo libro de Monarchia scripturarum auctores scribit divinitus esse percitos, eos vaticinari et prophetare. Voces *θεσπίζειν* et *προφητεύειν* Philoni, ut et Josepho ac Rabbinis, saepe non specificae, sed genericae significationis sunt ac ad hominem referuntur sub divino influxu scribentem. Addit praeterea, illos nihil ex proprio dicere, sed Dei esse instrumenta. Hic vero contra Appionem l. 1. 4. 8. scripturas, ait, ex divina inspiratione a prophetis esse conscriptas, atque ideo a Judaeis eas credi divinas, ac nefas duci, eis aliquid adjicere, vel ab eis aliquid demere.

Idem denique conficitur persuasione Christianorum. Apud vetustissimos enim scriptores non semel, sed frequenter hanc persuasionem expressam reperis. Nominantur nimirum libri, de quibus agimus, *scripturae sanctae, sermo sanctus, libri sacri, scripturae divinae, libri divinissimi, libri dominici, libri coelestes, verba Spiritus sancti et a Spiritu sancto dictata.* (Clemens Rom. epist. ad Corinth. I. n. 45; Justinus dialog. cum Tryph. n. 19. 33. 119; Tatianus orat. cont Graec. n. 12; Theophilus Antioch. ad Autol. l. 2. n. 9. 14. l. 3. n. 13. 14; Irenaeus adv. haer. l. 5. c. 20; Clemens Alex. Strom. l. 2. n. 2; Tertullianus apolog. c. 22; de pudic. c. 19. 20; cont. Marc. l. 3. c. 3; Origenes de princ. l. 4. c. 1; Novatianus de Trin. c. 19. 21. 22; Hippolytus cont. Noët. n. 9; Auctor lib. cont. haer. Artemonis apud Euseb. hist. eccl. l. 6. c. 3.).

Thesis XX. Quamvis non uno nomine scriptura censeri possit divina, attamen eo potissimum habita dictaque fuit divina, quod sit divinitus inspirata.

Dem. Scriptura nominari divina potest propter scriptores, qui a S. Petro dicuntur sancti Dei homines (II. Pet. 1. 25.); vel propter id, quod continet, quod est revelatio divina, vel propter fructum, quem gignit, et finem, ad quem aspirat, qui sunt sanctitas et unio cum Deo, vel propter originem ab ipso Deo. Inter hos vero titulos postremum hunc eminere, demonstratione opus vix habet. Origine enim a Deo, et tantum origine a Deo liber aliquis id obtinet, ut per antonomasiam divinus sit et dicatur. Istum autem titulum fontes, ad quos provocavimus, revera assignant. Dicuntur scripturae *scripturae propheticae* (Rom. 16. 26.), *scripturae prophetarum* (Matth. 26. 56.), *Dei loquutio in prophetis* (Heb. 1. 1.), *eloquia Dei* (Rom. 3. 2.). Quibus nominibus aliqua certe efficientia divina significatur, cui, quocumque demum modo scripturae exi-

stentia debeatur, adeo ut vi originis scripturae ipsum Deum in ea velut loquentem habeas.

Praesertim huc spectat testimonium Pauli II. Tim. 3. 15, 16. Complectitur enim hanc sententiam: Ab infantia sacras litteras nosti, quae possunt te instruere ad salutem per fidem, quae in Christo Jesu est. Omnis namque scriptura divinitus inspirata est. Ideo itaque Apostolo auctore scriptura apta est, quae ad salutem nos instruat, ac ideo „sacrae“ nomine donatur, quia est divinitus inspirata.

Deinde testimonium Petri II. Pet. 1. 20, 21. Eo namque docemur, scripturam non ab homine, ut viribus tantum humanis praeditus est, sed ab homine ortum ducere, ut sub inspirante efficientia Spiritus sancti constitutus est, ideoque non hominis proprie, sed Spiritus sancti esse opus. Quare si sanctam divinamque scripturam nuncupatam audis, ea ex causa hujusmodi ei appellationem fieri scias, quod princeps scripturae auctor non homo sit, sed Spiritus sanctus.

De Judaeorum persuasione ex iis constare potest, quae supra adduximus. Qui plura desiderat, legat, quae scribit Rabbi Kimchi in praefatione ad psalmos Davidis, quaeque alii Rabbini disputant laudati a Johanne Alend in opere de moderna theologia judaica.

Persuasionem christianam plurima monstrabunt, quae infra adducenda a nobis erunt, nunc pauca quaedam proferemus. Habes *Clementem Romanum* in prima epist. ad Corinth. n. 45. scribentem: „Scripturae sunt dictae a Verbo Dei et Spiritu ejus“; ac *Irenaeum* adv. haer. l. 2. c. 38. affirmantem, „esse infideles, qui negent, scripturas esse dictas a Spiritu sancto“; tum *Originem* de princ. praef. n. 8. inter ea, quae in manifesta praedicatione Ecclesiae sunt, ponentem, „quod per Spiritum sanctum scripturae conscriptae sunt“; ac l. 4. n. 6. statuentem, „legem et prophetas scripta esse coelesti gratia, nec hominum esse scriptiones, quae creduntur verba Dei“. Ac *Chrysostomus* hom. 21. in Genes. te docet, „scripturas divinas utpote

Spiritu sancto conscriptas magnum continere thesaurum absconditum"; ac *Augustinus* in psalm. 90. serm. 2. scripturas esse „epistolam omnipotentis Dei ad creaturam suam". Hinc *Theodoretus* nihil referre scribit in praefatione ad psalmos, quis singulorum psalmorum auctor fuerit, quum constet, „omnes esse scriptos per operationem Spiritus sancti". Ac *Theophilus Antiochenus* l. 3. ad Autol. n. 12. perfectum inter omnes scripturas existere consensum eo demonstrat, quod „in eorum conscriptoribus idem Spiritus sanctus fuerit".

Thesis XXI. Ex praescripto catholico ratio inspirationis exigit, ut Deus credatur auctor Librorum, qui inspirati dicuntur.

Dem. Praescriptum catholicum colligitur ex decreto *conc. trid.* de canonicis scripturis sess. 4: „Sacrosancta et generalis tridentina synodus, in Spiritu sancto legitime congregata . . ., orthodoxorum Patrum exempla sequuta, omnes libros tam veteris, quam novi testamenti, quum utriusque unus Deus sit auctor, . . . pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur". Quia igitur Deus omnium librorum, qui vetere novoque testamento comprehenduntur, auctor est, eadem reverentia suscipiendi omnes sunt ac pro sacris et canonicis suscipiendi. Idem proinde est, librum aliquem esse sacrum et canonicum, seu inspiratum, quam Deum ipsius esse auctorem.

Expressum est decretum tridentinum ad normam *florentini* pro Jacobitis: „Unum atque eundem Deum veteris et novi testamenti, hoc est, legis et prophetarum atque Evangelii profitetur auctorem, quoniam eodem Spiritu sancto inspirante utriusque testamenti Sancti loquuti sunt, quorum libros suscipit et veneratur". Ratio, cur librorum novi et veteris testamenti Deus auctor sit, haec assignatur, quod eorum auctores humani sub inspiratione Spiritus sancti eos conscripserint.

Similem professionem habes in *conf. fidei Michaelis Palaeologi,* ipsi a Clemente IV. proposita ab ipsoque in conc. lugd. II. Gregorio X. oblata: „Credimus etiam novi et veteris testamenti, legis ac prophetarum et Apostolorum unum esse auctorem Deum ac Dominum omnipotentem". Quod idem occurret in *symbolo fidei a Leone IX.* proposito Petro Episcopo.

Apertissime idem declaratur a conc. *vaticano* in constitutione dogmatica de fide catholica cap. 2: „Eos (libros, qui in decreto concilii trid. recensentur et in veteri vulgata latina editione habentur) vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant, sed propterea, quod Spiritu sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt".

Hoc fidei praescriptum colligitur etiam ex scripturis. Sane quaenam fuerit Judaeorum aetate Christi et Apostolorum de scripturis sententia, ea monstrant, quae de hac re habent Josephus et Philo. Scripturas scilicet credebant isti verbum Dei, a Deo prophetarum ore dictum, eas aestimabant libros ab hominibus quidem exaratos, ab hominibus vero supernaturali Dei operatione ita evectis, ut instrumenta Dei essent, ideoque libri, quos conscribebant, non humani, sed divini essent, verissimoque sensu libri ipsius Dei. Jam vero hanc Judaeorum fidem Christus et Apostoli multiplici plane modo confirmarunt. Confirmarunt nempe provocatione ad scripturas tum ad confutandos Judaeos tum ad vindicandam divinam missionem et dignitatem Christi nec non enucleandam et confirmandam divinitatem et veritatem doctrinae, quam annunciabant. Confirmarunt usu scripturae, qui in nullo differebat ab usu apud Judaeos solemni, ita nimirum, ut significent. verbi scripturae auctoritatem eandem esse, quam auctoritatem verbi Dei ore prolati. Confirmarunt denique, cae-

teris missis, urgendo saepe singulos apices verborum scripturae, quasi totam auctoritatem divinam continentes.

Praeterea expresse docemur, ea, quae scriptura contineat, Spiritum sanctum dicere (Heb. 3. 7: 10. 15.), seu Spiritum sanctum per os prophetae (Act. 1, 16; 4. 25). Id vero, quomodo verum esset, nisi verbum scripturae, qua tale, verbum esset Dei, ideoque nisi esset Deus auctor scripturae?

Apertissime autem Deus scripturae proprie auctor tibi sistitur testimoniis Pauli II. Tim. 3. 15. 16. et Petri II. Pet. 1. 20. 21. supra adductis. Si enim opportune haec testimonia conferantur, manifestum redditur, inspiratam sacram scripturam eo dici, quod non ab homine, sed a Spiritu sancto in homine operante originem ducat.

Quod idem senserunt veteres Patres et scriptores Ecclesiae. Citatis in praecedente thesi testimoniis haec addimus: *Justini martyris*, qui cohort. ad Graecos n. 8. verborum arte opus non habuisse sacros scriptores, dicit, „sed tantum se ipsos mundos exhibere operationi Spiritus sancti, ut ipsum divinum plectrum e coelo delapsum ac velut instrumentum citharae vel lyrae adhibens viros sanctos nobis revelaret cognitionem rerum divinarum et coelestium"; *Tertulliani* apolog. c. 31. scribentis: „Scripturae ipsae sunt Dei voces"; *Ambrosii*, qui sacros scriptores, ait, secundam gratiam, quae omnem artem superet, scripsisse: „scripserunt enim, quae Spiritus iis loqui dabat"; *Cassiodori*, cujus haec sunt de instit. div. litt. c. 13. (14. coll. 16.): „Has litteras non ratio humana reperit, sed hominibus sanctis virtus coelestis infudit"; denique *Gregorii Magni*, qui hunc in modum disserit: „Quum Spiritum sanctum auctorem tenemus, qui scriptorem quaerimus, quid aliud agimus, quam legentes litteras de calamo percontamur (praef. in Job. n. 2.)."

Thesis XXII. Nequit autem Deus existimari auctor librorum scripturae, nisi suppeditato charismate illustrationis et motionis efficiat, ut, quas veritates ipse hominibus per scripturam communicandas mente concepit, easdem hominis inspirati mens concipiat scribendas, et voluntas ejusdem ad eas omnes et solas scribendas pertrahatur.

Dem. Ad eam conficiendam satis est, sedulo expendere, quae comprehenduntur notione *auctoris libri*. Nomine *auctoris* intelligimus universim causam determinantem existentiam ejus rei, cujus auctor nominatur. Porro duobus modis aliqua causa existentiam rei determinare potest, nempe vel virtute propria et insita, vel virtute aliena, communicata et transeunte alius causae. Proprio sensu auctorem eam solam causam dicimus, quae propria insitaque virtute existentiam rei determinat, quaeque proinde hujus non instrumentalis dumtaxat, sed principalis causa est. Quare auctor libri proprio sensu is est, qui propria insitaque virtute libri existentiam determinat, sive aliquod instrumentum in hac efficentia adhibeat, sive nullo plane instrumento utatur.

Notio *libri* exhibet summam quandam signorum scriptorum, quae velut ectypi repraesentant summam idearum et judiciorum tamquam proprium typum. Ut igitur aliquis libri cujusdam auctor censeri possit, necesse est, tum summam idearum scribendarum conceperit, tum eandem literis consignaverit. Si utrumque aut alterutrum etiam tantum desit, ratio auctoris libri deficit. Hinc si quis per alium tamquam per causam instrumentalem alicujus libri auctor est, ab ipso ideae scribendae menti instrumenti communicandae sunt, ac voluntas ejusdem ad eas omnes et solas reipsa ita scribendas movenda est, ut summa signorum scriptorum vere tamquam ectypus exhibeat summam idearum tamquam proprium typum. Atque haec duo ut necessaria, ita etiam sufficientia sunt, ut quis auctor libri merito dicatur. Quod enim praeterea necessarium esse videri posset, ut ab eo ipsa quoque summa signorum menti

instrumenti suggesta sit, id evidenter ad essentialem rationem auctoris libri non requiritur. Ad hanc namque postulari nequit, ut id quoque ab auctore sit, quod est praeter et extra essentiam libri. Atqui *determinata in individuo* summa signorum scriptorum est praeter et extra essentiam libri. Quisque siquidem fatebitur eidem summae idearum ut typo non unam tantum summam signorum tamquam ectypum respondere, sed plures summas, sive ratione vocabulorum sive ratione grammaticae constructionis et rhetoricae dispositionis eorundem diversas, illam repraesentare posse. Etiamsi igitur aliquis non sit auctor determinatae formae summae signorum scriptorum, dummodo motione voluntatis instrumenti ad omnes et solas ideas scribendas, quas literis consignandas ejus menti communicavit, auctor sit summae signorum typum suum exhibentium, attamen verus propriusque libri auctor ipse est.

Explicata notione *auctoris libri* theseos probatio nullam difficultatem habet. Scilicet si Deus vere est auctor librorum sacrae scripturae per homines tamquam instrumenta, necesse est, ut hi charisma accipiant divinum, mentem collustrans et voluntatem movens. Cujus charismatis ratio eo pertinet, ut mens hominis lumine divino collustrata concipiat ideas mentis divinae scribendas, ac voluntas hominis motione divina pertracta se accingat ad istas ideas omnes et solas literis consignandas. Hinc perspicis adaequatam causam scripturae dici posse hominem, quatenus evectione, collustratione et motione divina constitutus est *θεόπνευστος θεοφερούμενος, πνευματοφόρος* ac ut talis scribit. Non igitur seorsum Deus et seorsum homo efficit scripturam, sed Deus in homine et per hominem, et homo in Deo et per Deum. Eo ipso nempe, quod homo toto scriptionis tempore constitutus sub charismate inspirationis causa librorum est, Deus ipsorum principalis, homo instrumentalis causa est; eo ipso ea, quae scribuntur, Dei sunt ac divina, sed in forma velut terrestri ac humana, quum proficiscantur ab homine, instructo tamen

viribus divinis. Quamobrem Deus est causa librorum, non alia, sed una plane eademque actione, qua homo eorundem causa est; quae actio Deo quidem tribuitur, ut charismate suo hominem evehit, collustrat et movet; homini autem, ut ab eo divinitus evecto, collustrato et moto libri conficiuntur. Ineptos proinde merito duxeris eos, qui hominem auctorem librorum immediatum, mediatum vero Deum esse docent. Deus enim non minus immediate effectum attingit, quam homo, quum hic eum attingat viribus divinis, permanente Dei operatione in ipso existentibus.

Illustrari haec res potest II. Pet. 2. 21., ubi docemur, scripturam non hominum opus esse, quum, quamvis ab hominibus confecta sit, ab iisdem tamen, solum ut *ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι* erant, ortum duxerit. Hinc Oseae 9. 7. propheta nominatur *ἄνθρωπος πνευματοφόρος*. Saepe actio Spiritus sancti in hominem exhibetur loquutione: *Spiritus Dei irruit* vel *insilit in prophetas*, vel *eos induit* ad hunc finem, ut Dei voluntatem ac consilia populo annuntient. Unde fit, ut quae in virtute Spiritus sancti prophetae loquuntur, non hominum, sed ipsius Domini verbum sint (Num. 24. 2.; II. Reg. 23. 2; Michae; 3. 8; Zachar. 7. 12; II. Esdr. 9. 30. et alibi). Mirae proinde tibi minime accident citandi formulae in divinis litteris frequentes, Deum loqui in prophetis et in scripturis, ac vicissim prophetas loqui in Deo; Deum deinde verba sua ponere in ore prophetae et per ipsius os loqui: Deum jussisse prophetam scribere verba sua (Exod. 17. 14; Jerem. 36. 2. sq.; Habac. 2, 2. 3.).

Illustrari praeterea potest testimoniis Patrum scriptorumque ecclesiasticorum, ut puta *Clementis Romani* I. ad Cor. n. 45; *Justini Martyris* dial. c. Tryph. n. 19. 33: *Theophili Antiocheni* ad Autol. l. 2. c. 9. 14; *Hippolyti* cont. Noët. c. 9. 11. 12; *Clementis Alexandrini* cohort. ad Graec. n. 9; Strom. l. 2. n. 2., et apud Euseb. l. 6. c. 14; *Tertulliani* apolog. c. 22; de pudic. c. 19. 20., de veland. virg. c. 15; cont. Marc. l. 3. c. 3; *Origenis*

de princ. praef. n. 1; l. 4. c. 1. 6; de orat n. 9; epist. ad Gregor. Thaumat. n. 1. sq.; cont. Cels. l. 5. c. 60; in Luc. hom. 1; in Deut. hom. 1; in Num. hom. 26; *Auctor. cont. haer. Artem.* apud Euseb. l. 6. c. 28. Hos namque audis commemorantes homines πνευματοφόρους, qui inspiratione et institutione ab ipso Deo prophetae facti sint et instrumenta Dei continentia sapientiam, quae a Deo est; et scriptores, quorum mens diviniore virtute dignata sit, quos Deus fecerit loqui per Spiritum sanctum, ut paternae virtutis afflatum recipientes voluntatem et consilium Patris annuntiarent. Audis ipsos docentes, os Domini, Spiritum sanctum scripturas loquutum esse, eas esse Dei disciplinam Deique naturam, eas divinae inspirationis institutionem esse, ab eisque si auferatur corporale verbi indumentum, reliquum, quod supersit, Dominum esse, vitam et Spiritum.

Cum iis, quae disputavimus, quaedam cohaerent non levis momenti, quae et distincte proponere ac enucleate exponere opportunum ducimus. Primo quidem facile liquet, non dari diversas species inspirationis in hac ipsa ratione inspirationis diversas. Nam elementa, quae necessario ad componendam notionem inspirationis concurrunt, plene ejus essentiam constituunt, ideoque eadem in omni inspiratione sunt. Non ideo tamen negamus, diversos dari posse darique gradus inspirationis, quum nihil obstet, quominus charisma hoc divinum vel abundantiore vel minus abundante copia animam inspirati afficiat ac repleat, quominus exempli gratia vel simpliciter lumine divino donetur, vel ita donetur, ut ei simul divina mysteria patefiant ac abdita et futura aperiantur.

Secundo apertum est, inspirationem ex sese et natura sua nec revelationem proprie nec prophetiam presse dictam esse. Nam ad inspirationis rationem nullatenus requiritur, ne ideae, quae scribendae lumine divino causae instrumentalis menti communicantur, aliunde cognitae sint aut aliunde cognosci possint. Imo nulla datur repugnantia, quod eadem omnino, quae libro aliquo, nudis humanis

viribus conscripto, comprehenduntur, in libro quoque inspirato contineantur, si nempe res per se spectetur. Hinc nihil agunt, qui inspirationem alicujus libri eo nomine impugnant, quod ea, quae liber refert, humano scriptori fuerint vel potuerint esse comperta.

Tertio, quum inspiratio activa operationem dicat Dei in hominem, tam Deo, quam homine digna credenda est. Quare nec usum mentis nec libertatis exercitium inspiratio homini eripit. Ut a Tertulliano, Hieronymo, Epiphanio aliisque discimus, Montanistarum deliramentum fuit, prophetas in extasi, hoc est in furore quodam et amentia, loquutos esse, adeo ut ipsi, quid loquerentur et scriberent, nescirent. Quantopere ab hac sententia abhorrerent orthodoxi, colliges ex *Hieronymo* prol. in Isai. et comment. ad Ephes. 3. 5; *Epiphanio* haer. 48. n. 5; *Origene* cont. Cels. l. 7. c. 3; *Chrysostomo* in Ps. 44. n. 1., ubi scribit, prophetas non fuisse, ut hariolos; in his enim daemonem, quum in animam irrueret, evertisse intelligentiam et obcaecasse rationem, ita ut anima carentium instar se habuerint, at in prophetis Spiritum sanctum, utpote cui proprium sit, naturae humanae curam gerere eidemque benefacere, efficere, ut intelligentiae participes sint eaque, quae dicant, intelligant. Praeclara sunt haec *Auctoris comment. in Isai.* n. 5., qui Basilius a compluribus esse putatur: „Dicunt aliqui, prophetas extra se raptos prophetare, humana mente a Spiritu obumbrata. Verum id abhorret a professione divinae praesentiae, ut amentem reddat, qui a numine corripitur, ut quum plenus esse coeperit divinarum doctrinarum, tunc a propria mente excidat . . . ., quin potius neque lumen coecitatem parit, sed videndi facultatem a natura insitam excitat, neque Spiritus tenebras inducit animis, sed ad rerum intelligibilium cognitionem mentem excitat a peccati maculis puram".

Difficilius prima specie videri posset, cum charismate inspirationis conciliare libertatem, quum haec impedimento esse videatur, quominus illa tuto et infallibiliter eo pertingat, quo spectat. Sed res ita nullatenus habet.

Novimus enim, aliquem infallibiliter operari posse, quin idcirco necessarium sit, eum operari necessitate, quae libertati opposita est. Et sicut Apostoli, quum Act. 3. dicebant, non posse se, quae viderint et audiverint, non loqui, non significabant necessitatem libertati adversantem, sed necessitatem ortam ex firmissima, quam habebant, voluntate Deo obsecundandi, ita, si forte inspirati quandoque similibus sententiis loquantur, eorum affirmatio in sensu, non diviso, sed composito accipienda est. Si vero Patres nonnunquam asserunt, prophetas aliosque inspiratos meri instrumenti et organi instar se habuisse, hos illi considerarunt ut organa, non inanimata, sed animata; non irrationalia, sed rationalia; operantia necessitate, non antecedente, sed consequente; operantia infallibiliter, non ex motione, sed ex praescientia Dei. Ac si quosdam, ut Theophilum Antiochenum, affirmantes audis, Deum *coëgisse* prophetas per Spiritum sanctum loqui, hoc unum intelligas, Deum nempe proportionatis mediis effecisse, ut prophetae, abjecta propria voluntate, totos se divinae voluntati traderent. Caeterum ipse quotidianus loquendi usus monstrat, verbum cogendi non necessario illationem necessitatis significare, qua libertas auferatur.

Quartum adjiciendum est hoc, scilicet charisma inspirationis ex sese non excludere operam hominis ac multiplex et assiduum studium in iis rebus cognoscendis positum, ad quarum scriptionem illud refertur. Ne enim dicamus, haec studia antecedere inspirationem posse, nihil sane repugnat, ut Deus charisma inspirationis cum illis studiis conjunctum esse velit, ita ut homo eis se dedens divino lumine collustratus ea omnia et sola concipiat, quae Deus scripta vult, et ad ea scribenda divinitus moveatur. Quare inepti sunt, qui librum aliquem inspiratum esse negant, eo quod ejus auctor humanus labores commemoret, qui in eo componendo subeundi fuerint, vel adjumenta, quae adhibita fuerint, enumeret. Exemplum habes II. Machab. 2. 24. sq.: *Itemque ab Jasone Cyrenaeo quinque libris comprehensa tentavimus nos uno volumine breviare.*

Considerantes enim multitudinem librorum et difficultatem volentibus aggredi narrationes historiarum propter multitudinem rerum, curavimus volentibus quidem legere, ut esset animi delectatio; studiosis vero, ut facilius possint memoriae commendare, omnibus autem legentibus utilitas conferatur. Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, imo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus.

Quinto loco notandum est, ex sese ad inspirationem necessarium non esse, ut, qui charismate donatus est, conscientiam ejus habeat. Intelligimus namque, posse aliquem sub hoc charismate constitutum scribere, quin sciat, se ex inspiratione scribere. Non facile tamen dandum est, scriptoribus inspiratis conscientiam istam defuisse, quum eam habere ad ea pertinere videatur, quae convenientia ab omnibus aestimantur.

Restat sextum, quod continetur quaestione sat vulgari, utrum omnia et singula verba librorum inspiratorum sint inspirata. Quod igitur ad quaestionem juris attinet, ea in superiore disputatione soluta comprehenditur. Respondendum namque est negative. Quamvis scilicet omnia et singula verba librorum inspiratorum sint hominis inspirati, id est hominis, non sibi suisque viribus relicti, sed sub charismate inspirationis constituti, ideoque vere, sincere et apte consilio librorum ideas, quas scriptas Deus vult, exprimant, attamen necessarium nequaquam est, ut ipsa in se sint inspirata, Dei nimirum operatione suggesta et velut dictata. Ad quaestionem autem facti quod spectat, longe probabilius est, pariter negando esse respondendum. Huc certe facit, quod magna in diversis librorum sacrorum scriptoribus sit diversitas eloquutionis et styli, eaque respondens diversae eorum eruditioni et indoli. Jam vero haec diversitas, sicut explicationem non habet, si ipsa verba inspirata creduntur, ita praeclaram explicationem habet, si scriptores ipsi, sub directione quidem Dei, attamen non ex ejus inspiratione verba elegisse ponuntur. Accedit alterum; constat enim, diversos scriptores non solum eadem

facta, sed etiam eadem dicta diversis verbis referre. Atqui hoc factum denuo quavis explicatione caret, si scriptoribus ipsa verba inspirata esse affirmantur. Nec putandum est, hanc sententiam componi satis non posse cum dictis quorundam sanctorum Patrum, Spiritus sancti operationem ad singulos apices divinorum librorum extendi; atque horum scriptores arte humana in scribendo directos non fuisse. Vera enim haec sunt, etiamsi minime credatur, singula sacri codicis verba esse inspirata.

Thesis XXIII. Longe a veritate aberrant, qui inspirationem et infallibilitatem perinde habentes, ad rationem libri inspirati satis esse affirmant, quod Deus ab homine, dum scriberet, sua assistentia errorem averterit.

Dem. Propugnatur haec sententia inter alios a *Johanne Jahn* in introd. ad vetus test. tom. 1. §. 19. Ut idem inspirationem et infallibilitatem haberi non posse, res est adeo manifesta, ut Jahn ipse fateatur, appellationem, qua divina assistentia ad praecavendos errores inspiratio dicta sit, non esse valde aptam. Imo ineptissimam judicare debuisset. Certe infallibilitas est notio negativa, inspiratio autem notio quam maxime positiva; infallibilitate fit, ut a verbo sive orali sive scripto error excludatur; inspiratione autem, ut verbum sive orale sive scriptum sit verbum ipsius Dei; illa tibi sistit actionem Dei, qua ab homine error removetur, haec vero actionem Dei, qua Deus ipse per hominem loquitur vel scribit. Atque haec, quae notio inspirationis in sua a notione infallibilitatis distinctione complectitur, appellatione inspirationis in fontibus revelationis significari, ad evidentiam usque superiora demonstrant. Quare aperte falsum est, ad rationem libri inspirati satis esse, quod humanus auctor, dum scriberet, divina tutela ab errore praeservaretur.

Praeterea admittenda non est ejusmodi notio inspirationis, qua fit, ut contra unanimem christiani nominis

persuasionem monumenta inspirata amplificentur, ac ultra propriam suam epocham inspiratio extendatur. Ejusmodi autem ea est, in qua expedienda sumus.

Accedit, cum notione inspirationis essentialiter connexum id esse, ut libri ex inspiratione conscripti Deus auctor credendus sit. Atqui libri, in cujus scriptione eae tantum Dei partes sunt, ut ab ejus scriptore errorem removeat, Deus sane auctor non est.

Denique ex fide universali christianorum ejusmodi admittenda est librorum divinae scripturae inspiratio, qua fiat, ut quidquid isti continent, eo ipso, quod continent, existimandum sit revelatum. Atqui hujusmodi non est inspiratio ista, quae in sola assistentia Dei, scriptorem ab errore protegentis, consistit. Quid enim impedit, quominus scriptor, divinitus protectus, plura scribat, quae non divina revelatione didicit, sed scientia humana acquisita tenet? Quamvis porro haec infallibiliter vera sint, imo implicite in revelatione divinae assistentiae scriptori praestitae revelata censenda sint, attamen in se et explicite revelata nullatenus sunt.

Thesis XXIV. Improbandi penitus sunt, quibus ad decus libri inspirati satis est, eum, quamvis humanitus primum conscriptum, deinde ceu proprium a Spiritu sancto adscitum fuisse.

Dem. Bonfrerius in praelog. ad totam s. script. c. 8. docet, Spiritum sanctum ad sacros scriptores tribus modis universim habere se posse, nempe *antecedenter, concomitanter* et *consequenter*.

Primo modo se habet, quum inspirat, revelat, demonstrat, quae scribenda sunt, ita ut de suo nihil addat sacer scriptor, sed ea tantum scribat, quae Spiritus sanctus inspirat. Atque hoc modo Spiritum sanctum se habuisse putat quoad eas partes librorum, quae complectuntur res

ex sese humanam intelligendi vim excedentes, res proinde, quas naturalibus viribus scriptor nec cognoscit nec cognoscere potest.

Altero modo Spiritus sanctus se habet, quum „non ad modum dictantis vel inspirantis se habet, sed ad eum modum, quo qui alterum scribentem oculo dirigeret, ne in re quapiam erraret. Hoc enim modo potest Spiritus sanctus scriptorem hagiographum dirigere, ut in nullo eum errare fallive permittat; quum enim praesciat, quid ille scripturus sit, ita ei adstat, ut sicubi videret eum erraturum, inspiratione sua illi esset adfuturus.“ Quare in scriptoribus, qui sunt sub hac concomitante Spiritus sancti actione, est „determinatio quaedam ab extrinseco, ut diversa vel contraria iis, quae scribunt, scribere non possint, quum scribentes Spiritus sanctus non patiatur errare, semper adstet scribentibus in actu primo illis, quae scribenda sunt, inspirare, sicubi sibi relicti essent aberraturi. Ab intrinseco tamen liberi sunt, quum re ipsa illos Spiritus sanctus non determinet nec quidquam antecedenter in illis operetur, nisi sicubi operatio divina illis est necessaria.“ Refert hunc modum se habendi Spiritus sancti ad libros historicos, ut continent res gestas scriptoribus aliunde compertas, ut sunt libri Machabaeorum, Evangelia et Actus Apostolorum.

Tertio modo „se habere posset Spiritus sanctus, si quid humano spiritu absque Spiritus sancti ope, directione, assistentia a quopiam scriptore esset conscriptum, postea tamen Spiritus sanctus testaretur, omnia, quae in eo scripta essent, vera esse; certum enim est, tunc totum hoc scriptum fore verbum Dei et eandem infallibibilem veritatem habiturum, quam habent caetera, quae inspiratione vel directione ejusdem Spiritus sancti conscripta essent.“ Porro non putat, hunc modum Spiritum sanctum quoad ullum eorum librorum sacrae scripturae, quos possidemus, adhibuisse, simul tamen notat, adhiberi certe posse et fortasse revera adhibitum esse quoad nonnullos libros, qui interciderint, utpote qui ipsa citatione in scrip-

tura, quam possidemus, ut veraces approbati esse videantur. Caeterum librum hoc modo a Spiritu sancto probatum futurum esse sacram scripturam, probare conatur ex eo, quod decretum ab alio quidem proprio marte exaratum a rege autem deinceps subscriptum, fiat verbum regis, et quod sententiam aliquam ab homine prolatam Spiritus sanctus eam probando et veram esse affirmando reddere possit scripturam sacram, ut constat de sententia Arati Act. 17. 28.

Longius processerunt nonnulli recentiores, ut *Hanebery* (Versuch einer Geschichte der biblischen Offenbarung. Abschnitt 9. Kap. 4. §. 8). Bonfrerium, inquit, triplicem distinxisse inspirationem, inspirationem nimirum antecedentem, inspirationem comitantem, inspirationem subsequentem. Vix porro definiri posse, quanam inspirationis specie singuli libri et singulae partes eorundem inspirati sint; unum hoc affirmari posse, eos locos, in quibus legitur: *Haec loquutus est Dominus,* vel *ita dicit Dominus Deus,* ad primam speciem, historicas narrationes ad tertiam, libros poëticos ad secundam maxime referendos esse. De inspiratione subsequente haec scribit: „Fieri potest, aliquam scripturam primum viribus pure humanis ordinariis confectam eo fieri verbum Dei ac proinde etiam inspiratam, quod in canonem inseratur. Quod quum accidit, eodem modo illa scriptura fieret verbum Dei, quo locus aliquis a Cicerone conscriptus verbum meum fit, simulac eo utor, ut in aliqua dissertatione vel epistola mentem propriam exprimam.“ Hanc opinionem, maxime post definitionem vaticanam, quam supra adduximus, teneri non posse, manifestum est.

Jam itaque inprimis patet, immerito Bonfrerio adscribi, quod triplicem docuerit esse inspirationem, quum ille triplicem tantum distinxerit modum, quo ad sacros scriptores Spiritus sanctus habere se possit, quoque aliquis liber sacra scriptura fieri queat. Maxime vero nomine inspirationis subsequentis Bonfrerius nunquam usus est, imo uti ne potuit quidem, quum inspirationis appellatione

positivam in ipsum scriptorem Spiritus sancti operationem constanter intelligat et significet. Praeterea ad nullum sacrae scripturae librum refert tertium modum, quo Spiritus sanctus ad librum aliquem habere se potest, quemque recentiores isti inspirationem subsequentem nominant; ac secus, quam hi, libris historicis non tertium, sed secundum modum adscribit. In quo utique a veritate aberrat, quum secundum modum ad rationem libri inspirati sufficientem esse, asserere nequeat, quin saltem partim satis ad eam esse defendat, quod scriptor in conscribendo libro a Spiritu sancto ab errore immunis servetur. Nunc de tertio modo.

Primo evidens est, hoc tertio modo librum non fieri inspiratum. Profecto librum esse inspiratum significat, Deum proprie ejus esse auctorem. Atqui adrogatione illa divina, quam ille modus continet, Deus non fit auctor libri. Ut alia ratione dicamus: Eatenus liber aliquis est et nominatur inspiratus, quatenus ejus origo supernaturalis et divina est. Atqui adoptione consequente libri non aufertur naturalis et humana ejus origo, sed contra luculentius ostenditur et validius comprobatur.

Hinc evidens quoque est, eodem modo librum non fieri scripturam sacram, accepto hoc nomine usu biblico et christiano. Hoc nempe usu attento nullus liber est sacra scriptura, qui origine sua divinus non est Deumque auctorem non habet. Quod proinde dicunt, librum insertione in canone fieri inspiratum, plane absonum est. Ut enim in canonem referri aliquis liber possit, necesse est, sit ab homine inspirato scriptus sitque proinde divinae originis, quum relatio in canonem non sit collatio inspirationis, sed authentica ejusdem declaratio. "

Si autem scripturae sacrae nomen sumatur sensu generico et communi, haud infitiamur, tertio, de quo agimus, modo librum aliquem humanae naturalisque originis fieri scripturam sacram. Sacrum enim librum jure cum habemus, quem Deus ipse declaravit verum et sanctum, quique proinde hac declaratione objectum fit fide divina cre-

dendum. Approbatione enim Dei accedente, tota materia, quam liber continet, fit verbum Dei, verbum tamen Dei propter adrogationem, non autem propter inspirationem.

Unde perspicua fit responsio ad argumenta Bonfrerii. Scilicet rex subscribendo decretum ab alio proprio marte confectum reddit quidem ipsum suum, quatenus vim auctoritatemque ei confert, quam ex se non possidet, at minime ipsum efficit auctorem operis vel libri. Deinde Spiritus sanctus aliquam sententiam ab homine prolatam nullatenus reddit scripturam sacram, si eam simpliciter approbat, sed tantum, si eam inspirat. Sententia vero Arati non est inspirata, sed inspirata dumtaxat ejus est citatio.

Thesis XXV. In maximo errore denique versantur, qui vel eodem censu habent charisma inspirationis et charisma apostolatus, vel certe illud cum hoc necessario vinctum arbitrantur.

Dem. Necessitas probandi inspirationem librorum novi testamenti quosdam protestantes, qui argumenta ab aliis protestantibus adhibita inania esse perspiciebant, coëgit, ut charisma inspirationis in charisma apostolatus refunderent, atque ejusmodi ea vinculo cohaerere affirmarent, ut libri ab Apostolis conscripti necessario sint inspirati. Qui hanc opinionem propugnavit, habes maxime *Johannem Davidem Michaëlis* introd. in nov. test. tom. 3. c. 3. Libros ab Apostolis confectos habendos esse inspiratos, ab iisdem vero non conscriptos inspiratos non esse aut demonstrari inspiratos non posse. Non defuerunt quidam catholici theologi, quorum similis sententia fuit, qui tamen, ne Marci et Lucae Evangelia e numero librorum inspiratorum expungere adigerentur, addiderunt, ad libri alicujus inspirationem sufficere, quod auctor sit discipulus Apostolorum, qui eorum praedicationem authentice literis consignaverit.

In summam collectis testimoniis, quibus charisma apostolatus exhibetur, cujusmodi potissimum sunt loci classici Matth. 18. 18; 28. 18. coll. Marc. 16. 15; Joh. 20. 21. sq., ad illud pertinere intelligimus potestatem ligandi et solvendi, potestatem remittendi retinendique peccata, munus potestatemque ubivis terrarum authentice et infallibiliter docendi instituendique Ecclesiam Christi; at de charismate inspirationis ad scribendum ne levissimum quidem occurrit vestigium. Quomodo igitur cum charismate apostolatus necessario cohaerere statuitur charisma inspirationis? Forte quod in aliquo illorum, quae ad charisma apostolatus constituendum concurrunt, includatur, vel ex aliquo illorum fluat? Nec in ullo illorum includi, nec ex ullo illorum consequi, tum per se patet, tum inde evidenter demonstratur, quod non omnes Apostoli inspirationem ad scribendum habuerint. An forte dices, charisma inspirationis supponere subjectum aliqua praerogativa ornatum, quae Apostolis est propria? Atqui id quoque affirmari non posse, ipsa notio inspirationis monstrat, quae est notio charismatis sui plane nominis, a caeteris omnino distincti et separabilis.

Deinde apostolatum non immerito consideramus ut participationem et continuationem quandam missionis Christi Domini. Atqui ad missionem Christi nullatenus spectat, ut ab ipso inspirati conscribantur libri. Ergo ad apostolatum quoque qua talem non pertinet librorum inspiratorum conscriptio.

Denique charisma apostolatus maxime refertur ad splendidam quandam testificationem orali praedicatione exercendam. *Vade*, inquiebat quondam Dominus ad Ananiam Act. 9. 15., *quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israel.* Quod caeterum ex universa oeconomia Christi Apostolos eligentis, instruentis et mittentis liquet. Jam vero, ut splendida illa testificatio constare sibi potest sine omni charismate inspirationis, ita hoc existere potest sine omni destinatione ad illam. Quid igitur, quaeres, num

Apostoli scribere libros poterant non inspiratos? Non poterant utique libros conscribere de doctrina Christi, quin eam isti infallibiliter continerent, sed nihil repugnabat ex sese, eos libros scribere non inspiratos. Neque dicas, aliam fuisse Veterum sententiam, utpote quibus idem fuerit, demonstrare alicujus libri apostolicam originem et vindicare ejus inspirationem. Nam, sicut nemo Veterum posuit, librum aliquem non esse inspiratum, eo quod Apostolum non habeat auctorem, ita vicissim nemo Veterum simpliciter affirmavit, librum aliquem esse inspiratum eo solo titulo, quod ipsius auctor sit Apostolus. Quod ex Veteribus huc spectans afferri potest, hoc unum est: Veteres dubitationes quasdam de valore traditionis circa quosdam libros, depromptas ex defectu genuinitatis eorum, expellebant demonstrando hanc genuinitatem. Hinc eorum argumentatio specie tenus haec erat: Epistola ad Hebraeos Paulum habet auctorem; ergo inspirata censenda est; re ipsa autem ita habebat: Traditio de inspiratione epistolae ad Hebraeos eo nomine in dubitationem adducitur, quod genuinus foetus Apostoli non sit; est autem certe a. S. Paulo conscripta; ergo ejus inspiratio in tuto est.

Jam expendenda veniunt argumenta, quibus adversarii utuntur. Primum petit Michaëlis ex Matth. 11. 28., ubi charisma apostolatus praestantius affirmatur charismate prophetiae, quum minimus in regno coelorum affirmetur major maximo in vetere testamento, et ex I. Cor. 12. 28; Ephes. 2. 20; 4. 11, ubi Apostoli vel praeferuntur vel praeponuntur prophetis. Atqui prophetae erant inspirati. Ergo a fortiori Apostoli. Verum quod attinet testimonium Matthaei, manifeste in eo non fit ulla charismatum, sed tantum oeconomiarum comparatio; et si quid inde inferri posset, inferendum esset, non tantum Apostolos, sed omnes ad regnum coelorum pertinentes, esse inspiratos. Ad testimonia autem Pauli quod spectat, quum sermo in iis non sit de prophetis veteris, sed de prophetis novi testamenti, concludendum ex iis foret, ab aliis quoque, quam Apostolis, haberi libros inspiratos novi

testamenti. Deinde eo spectat iis in locis S. Paulus, ut diversa esse doceat charismata in Ecclesia, ut diversa sunt corporis humani membra. Num autem putas oculum, aliis utique multis corporis membris praestantiorem, quae haec praestant, et ipsum sua efficientia comprehendere? Scilicet falsum est, quod sumit Michaëlis, charisma aliquod alio nobilius, quae huic propria sunt, in se comprehendere. Sed falsum quoque est, quod affirmat, prophetas fuisse ex ipso munere prophetico inspiratos ad scribendum. Sicut erant in vetere testamento inspirati ad scribendum, qui prophetico munere ornati minime erant, ita erant prophetae, qui ad scribendum non erant inspirati. Imo prophetas scribere potuisse, quin ipsorum scripta ad divina referenda sint, testatur *Augustinus* de civ. Dei l. 18. c. 36: „Existimo, etiam ipsos, quibus ea, quae in auctoritate religionis esse deberent, sanctus utique Spiritus revelabat, alia sicut homines historica diligentia, alia sicut prophetas inspiratione divina scribere potuisse atque haec ita fuisse distincta, ut illa tamquam ipsis, ista vero tamquam Deo per ipsos loquenti, judicarentur esse tribuenda, ac sic illa pertinerent ad ubertatem cognitionis, haec ad religionis auctoritatem".

Addit Michaëlis argumentum ex Matth. 10. 19: *Quum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini*, et ex locis parallelis Luc. 12. 11; 21. 14; Marc. 13. 11. Fatetur ipse Michaëlis, his verbis immediate non significari charisma inspirationis, verum nec mediate etiam iisdem exhibetur. Quod enim hic a Christo promittitur, est circumscriptum ad responsiones dandas coram tribunalibus, ideoque ultra fas extenditur ad librorum conscriptionem.

Citat adhuc Matth. 16. 18: 18. 18. Sed ne de horum textuum interpretatione dicamus, evidens profecto est, potestatem solvendi et ligandi nihil cum charismate inspirationis commune habere. Neque juvant eundem auctorem testimonia Joh. 15. 26, 27; et 16. 7. His namque docemur quidem assistentiam Spiritus sancti Apostolis exhibendam et communicationem dogmatum coelestium

praedicandorum eisdem faciendam, sed de inspiratione nihil continent.

Theologus quidam catholicus praeterea provocat ad I. Cor. 2. 5; II. Cor. 5. 20; 13. 3; Ephes. 3. 2, 5, 7; Coloss. 1. 25. Sed satis est, hos textus legere, ut appareat, probari iis quidem, Apostolos legationem pro Christo administrare, ipsosque maxima in Christo et per Christum auctoritate ornatos esse, atque ideo summam praedicationis ipsorum authenticam esse; probari iisdem deinde communicationem doctrinae praedicandae divinitus ipsis factam esse, at ne verbum quidem complectuntur, quod de inspiratione ad scribendum aliqua saltem veritatis specie intelligi valeret. Scilicet nullum plane est testimonium, quo niti possint, qui charisma inspirationis cum apostolatus charismate necessario vinculo nexum esse asserunt.

Sectio II.

De modo cognoscendi inspirationem.

Thesis XXVI. Argumenta illa objectiva, quae interna protestantes appellant, inspirationi scripturae demonstrandae plane imparia sunt.

Dem. Notione inspirationis constituta, quaestio oritur, quomodo librorum, qui scripturam componunt, inspiratio cognoscatur. Cognosci eam criteriis quibusdam, quae ipsis libris inhaereant, ideoque objectiva interna sint, non paucorum protestantium est sententia. Collecta ea maxime sunt a *Bochart*, *Carpzon*, *Tottenam* et *Horne*. Revocantur vero ad *styli majestatem*, *brevitatem et perfectionem*; ad *modum scribendi authenticum et auctoritate plenum;* ad *harmoniam et concentum librorum;* ad *novum doctrinae genus;* ad *augustissimam morum disciplinam;* ad *antiquitatem librorum;* ad *perfectionem ipsorum extensivam*, quum a mundi

creatione exordium capiant et mundi finem exponendo concludant: ad *accuratam, quae in scripturis invenitur, ideam Dei.*

Verum primo, si demus omnia haec et singula criteria adesse, nequit tamen ex iis inspiratio scripturae inferri. Profecto indicandus esset gradus, quem styli majestas, brevitas et perfectio obtinere debeat, ut inspirationis effectus censendus sit; manifestum autem est, indicari eum numquam posse. Modum deinde authenticum scribendi plene explicatum habes, si scriptores credas non sua sensa promentes, sed munus testium veritatis divinitus revelatae exercentes. Ad harmoniam vero concentumque librorum declarandum abunde satis est ponere, divina assistentia ipsos ab errore mansisse protectos. Novum praeterea doctrinae genus nihil ulterius requirit, quam novos doctores, sicut augustissima morum disciplina nihil flagitat, quam augustissimum institutorem. Antiquitas deinde librorum eo ipso habetur, quod eorum scriptores sunt antiqui; perfectio eorum extensiva necessario existit, si scriptores eruditi sunt ac divina revelatione instructi. Quae divina revelatio ad haec non potest non esse causa accuratae ideae Dei libris comprehensae.

Deinde vero criteria, quae recensentur, non inveniuntur in omnibus libris, qui inspirati etiam a protestantibus affirmantur, ut puta in pluribus historicis veteris testamenti, in epistola Judae, in epistola Pauli ad Titum et Philemonem, in epistola secunda et tertia Johannis. Eadem autem inveniuntur in libris, qui certe inspirati non sunt. Id vero contingere nullatenus posset, si cum inspiratione ita cohaererent, ut haec ex iis demonstrari et certo cognosci posset.

Denique inter criteria, quae a protestantibus assignantur, quaedam sunt, quae in scripturis universim minime inveniuntur. Num enim, quaeso, tanta est librorum, quos scriptura complectitur, harmonia et concentus, ut sponte contemplanti se offerat? Atqui nemo id dicet, qui novit infinita propemodum studia Catholicorum omnis aetatis,

concentum illorum librorum contra incredulos dissidia inter auctores comminiscentes propugnatium, ac contentionem, qua protestantes orthodoxi pro eodem concentu contra rationalistas certarunt.

Plane autem falsum est, quod de majestate perfectioneque styli librorum scripturae asserunt. Et certe omnino alia et opposita fuit sententia Majorum, qui argumentis etiam confirmant, summopere decuisse, ut scripturae stylus simplicitatem praeferret et humilitatem. Primo quidem, quod simplex tantum et humilis stylus accommodatus esset auctoribus instrumentalibus scripturae. Deinde vero, quod simplex tantum et humilis stylus congrueret cum ea oeconomia, cujus centrum est ipsum Verbum Dei exinanitum. Praeterea, ne mundi conversio elegantiae et artificio scriptorum adscriberetur, sed tota ad virtutem divinam referretur. Denique quod veritas divina eo purior splenderet ac in nativa sua luce niteret, quo magis elementum humanum removeretur.

Caeterum haud infitiamur, Apologetas religionis ad criteria interna vel recensita vel iis similia quandoque provocare, verum non ad inspirationem, sed ad authentiam scripturae demonstrandam iis utuntur. Praeterea aliud esse memineris, inveniri in scriptura universim considerata vestigia quaedam divinitatis, ac inde colligere, scripturam non habere auctores sibi relictos, sed a Deo fultos, ac aliud ejusmodi in eis reperiri vestigia, quae Deum demonstrent totius scripturae per inspirationem auctorem. Denique confundendum non est id, quod cum re aliunde jam comperta apte cohaeret eamque nova luce perfundit mentique firmius inprimit, cum eo, quod ex sese eam primo patefacit ac ei quoque persuadet. qui eam aliunde exploratam nondum habet.

Thesis XXVII. Nec argumenta psychologica, quibus protestantes scripturae inspirationem demonstrare conantur, ea sunt, quae certam fidem indubiamque persuasionem creare possint.

Dem. Argumenta psychologica, ex interiori animi sensu sumpta, reducuntur ad duas cohaerentes species; prima est, quod is, qui scripturas legit, mira quadam animi consolatione recreetur, altera est, quod scripturarum lectio vim flexanimam habeat.

At inprimis manifestum est, nullum esse in hujusmodi argumentis nexum inter antecedens et consequens. Effectus isti enim tribuuntur scripturae aut materialiter aut formaliter consideratae. Si primum, nihil efficitur, quum id commune habeant cum aliis libris minime inspiratis. Si alterum, aperte supponitur, quod est in quaestione. Item effectus isti ponuntur scripturae aut ita convenire, ut naturaliter eos producat, aut ita, ut supernaturaliter eos progignat. Si primum, scripturae id commune est cum aliis libris humanae originis; si alterum, non scripturae, sed Spiritui sancto praedicti motus in acceptis referendi sunt.

Non minus manifestum est, effectus, quibus protestantes fidunt, nec ab omnibus scripturae libris, nec omnibus singulorum librorum partibus, nec in omnibus scripturae lectoribus procreare.

Denique manifestum est, criteria in his effectibus posita esse pure subjectiva. Jam vero criteria pure subjectiva, quae nulla objectiva norma reguntur, inservire ad objectivam cognitionem nequeunt, sed apta solum sunt ad viam fanatismo aperiendam.

Ad sententiam refutatam reducitur opinio Calvini et Calvinianorum, qui criterium, quo de librorum inspiratione statuatur, in interno Spiritus sancti testimonio constituunt. Quid enim est ejusmodi testimonium? Num affirmatur dependens a scriptura ejusque lectione, an vero independens? Si primum, comprehenditur effectibus psychologicis, de

quibus disputavimus. Si alterum, nova est revelatio. Jam vero ne dicamus, nullas admittendas esse novas revelationes, nullas assignare possunt Calviniani notas, quibus singuli sibi et aliis probare valeant, revelationem ab eis reipsa fuisse acceptam.

Thesis XXVIII. Multo adhuc minus argumenta, quae protestantes historica nominant, quaeque ex miraculis et vaticiniis in scriptura contentis depromunt, inspirationem scripturae extra controversiam collocant.

Dem. Miraculis et vaticiniis, inquiunt protestantes continetur testimonium divinum, adeo ut divino testimonio comprobatum aestimari debeat, pro quo patrata sunt miracula et edita vaticinia. Quum igitur in scripturis miracula et vaticinia referantur, testimonio divino comprobatae existimandae sunt. Quam nullum hoc argumentum sit, longiori expositione opus non habet. Certe miracula et vaticinia, quae in scripturis continentur, non sunt edita ad ipsarum inspirationem patefaciendam, ideoque comprobare eam nequeunt. Deinde miracula et vaticinia non inveniuntur in omnibus libris librorumque partibus, qui habentur inspirati, leguntur autem in multis libris, qui certe inspirati non sunt. Non vident scilicet protestantes, qui hoc historicum argumentum adhibent, miracula esse argumenta, quibus testes divinitus missi immediate quidem missionem suam, mediate autem suam doctrinam demonstrant; inspirationem autem terminative esse dotem quandam qualitatemque libri, quam inde obtinet, quod Deus ipse sit scriptionis ejus auctor. Num vero ideo liber aliquis ab ipso Deo scriptus credendus est, quia refert argumenta divinae missionis alicujus doctoris?

Thesis XXIX. Cognitio talis inspirationis, qualis requiritur, ut scriptura tamquam verbum Dei inspiratum admittatur et credatur, solo divino testimonio obtineri potest.

Dem. Inspiratio, ut cum dictis cohaeret, solo testimonio cognosci potest. Est enim inspiratio factum internum psychologicum supernaturale, libera Dei actione productum, quod effectum quidem externum habet, non tamen talem, cui impressae sint notae ex sese et necessario causam sub formali ista ratione manifestantes. Liber scilicet inspiratus, qui est inspirationis effectus, ut contra protestantes demonstravimus, nullam complectitur inhaerentem notam, ex qua formalis haec ratio „libri inspirati“ colligi possit. Quare vel nulla dari potest certa hujus rationis cognitio, aut, si qua existit, testimonio progignitur. Testimonium autem hoc ex sese et absolute loquendo duplex esse potest, scilicet aut hominis inspirationem habentis, aut Dei inspirationem elargientis, seu aut humanum aut divinum. Divinum esse posse patet. Sed ex sese et absolute nihil etiam impedit, quominus humanum sit. Nam non repugnat, hominem inspiratum inspirationis habere conscientiam et certam cognitionem hujusque testimonium reddere. Nec repugnat, eam illius hominis esse auctoritatem, ut testimonium datum fide dignum apprehendatur. His autem duabus conditionibus reipsa existentibus fide humana tenetur libri, de quo agitur, inspiratio. Ejusmodi vero fides manifeste est fallibilis, maxime quod ex duobus momentis, quae testimonii vim constituunt, alterum non possit non intelligi fallibile. Numquam enim plena certitudine cognosci potest, hominem se inspiratum esse judicando a vero non aberrasse.

Jam nunc inquirendum est, an cognitio inspirationis testimonio humano innixa, sufficiat, ut scriptura tamquam verbum Dei inspiratum suscipiatur et credatur. Non sufficere haec aperta ratio probat: Scripturam tamquam verbum Dei inspiratum suscipere et credere idem est, quam

profiteri, quidquid in scripturis contineatur, eo ipso quod in eis contineatur, fide divina admittendum et tenendum esse. Eatenus autem solum fide divina admitti et teneri potest, quidquid in scripturis continetur, ex hac una causa, quod in eis contineatur, quatenus fide divina scriptura tamquam inspiratum Dei verbum suscipitur et creditur. Nam fides, qua ideo aliquid complectimur, quia in scripturis continetur, a fide pendet, quam de scripturis ipsis habemus, ac proinde, nisi divina haec sit, infallibili nempe Dei testimonio nixa, illa etiam divina esse non valet. Ac certe quis divinam dixerit fidem, quae ultimatim resolvitur in humanam fallibilem auctoritatem? Atqui nisi divina sit fides, qua scripturae inspirationem suscipimus, fides, qua, quod scriptura continet, eo solo nomine, quod ab ea continetur, amplectimur, ultimatim resolvitur in auctoritatem humanam fallibilem.

Ergone nunquam testimonio ipsius inspirati talis inspirationis cognitio, qualis postulatur, ut scriptura tamquam Dei verbum inspiratum credatur, obtineri potest? Id equidem non affirmavimus. Nam testimonium ipsius inspirati non necessario testimonium est pure humanum. Potest namque esse insignitum motivis credibilitatis ac ita induere rationem testimonii divini. Quod scilicet propugnamus, est hoc unum: Testimonium, quo inspiratio scripturae ita constet, ut tamquam inspiratum verbum Dei credatur, non potest esse pure humanum, sed necesse est sit aut immediate aut mediate divinum.

Caeterum caveas, ne quaestionem hanc praesentem confundas cum alia quaestione, quam nonnunquam catholici theologi habent, scilicet num inspiratio scripturae tantum infallibili traditionis testificatione an etiam historico testimonio, quod conditionibus ad valorem ejusmodi testimonii requisitis satisfaciat, certo constare possit. Haec enim quaestio non est de testimonio, quo comprobanda primum sit inspiratio alicujus libri, sed est de testimonio, quo comprobatio inspirationis cognosci possit. Theologi nimirum catholici istam quaestionem instituentes hoc in-

quirunt, num testimonium Dei de inspiratione alicujus libri tantum serie testium infallibilium, an etiam serie testium probari certo possit, a quorum vel infallibilitate vel fallibilitate praescinditur. Hinc quum audis theologos improbantes eos, qui contendant, talem esse scripturae inspirationem, quae humano testimonio certo cognosci non possit, ne opineris, eos adversari thesi a nobis propugnatae.

Thesis XXX. Testimonium divinum de divina origine et inspiratione librorum veteris testamenti, qui unanimi catholicorum et protestantium consensione recipiuntur, iis praeclare ostenditur, quae libris novi testamenti comprehenduntur.

Dem. Aetate Christi et Apostolorum rata erat Judaeorum persuasio et indubitata fides, certam quandam librorum collectionem, eorum nempe, quos nunc adhuc in canone conservant Judaei, quique protocanonici a theologis nominari consueverunt, esse divinitus inspiratam. Testem habes Josephum, qui paulo post hierosolymitanae urbis excidium scripsit, cont. Appion. l. 1. n. 8: „Apud nos nequaquam innumerabilis est multitudo librorum dissidentium et inter se pugnantium; sed duo dumtaxat et viginti libri, totius temporis descriptionem continentes, qui merito creduntur divini. Ex his quinque quidem sunt Moysis, qui et leges continent et humanae generationis traditionem usque ad ipsius (Moysis) obitum . . . A Moysis obitu usque ad imperium Artaxerxis, regis Persarum post Xerxem, prophetae [1]), qui Moysi successere, res sua aetate gestas conscripserunt tredecim libris; quatuor vero reliqui hymnos in Deum et praecepta vitae hominum complectuntur".

[1]) Nomen prophetae hic a Josepho sumi non pro homine futura praedicente, sed pro homine ex divina inspiratione scribente, tum aliunde tum ex eo apparet, quod Josephus iis adscribit.

Accedunt testimonia scriptorum christianorum a saeculo secundo usque ad quintum, qui recensent libros, quos Judaei, ut ab his didicerant, canone suo comprehendebant, *Melitonis* apud Euseb. hist. eccl. l. 4. c. 26; *Origenis* apud eundem l. 6. c. 25; *Epiphanii* de pond. et mens. c. 4. 22. 23; *Hilarii* prol. in psalm. 4. 15; *Hieronymi* prol. galeato. Quae testimonia consentiunt cum testimonio Josephi. Supponi vero omnino nequit, Judaeos post Christi et Apostolorum aetatem suo canoni aliquot libros adjecisse, quos aetate eadem iste nondum complectebatur. Nullum enim hujus rei vestigium in historia temporis, quod considerandum hic est, apparet; non vestigium autem tantum, sed clarum indicium ipsius continere illa deberet, quum enim in ea potissimi doctores Judaeorum ducesque scholarum et plurima ab eis acta commemorentur, maxime certe commemorari is debuisset, qui mutationis canonis per universum orbem, ubicumque nempe Judaei dispersi versabantur, auctor fuisset. Praeterea componi sumptio hujus mutationis cum ea veneratione non potest, qua sacros libros Judaei prosequebantur. „Porro re ipsa manifestum est, ait Josephus, quanta nos veneratione libros nostros prosequamur. Quum enim tot jam saecula effluxerint, nemo nec adjicere quidquam nec ab iis demere aut mutare ausus est. Sed omnibus Judaeis statim a prima aetate congenitum est, ut haec scripta credant Dei dogmata et eis inhaereant, ac pro eis, si opus sit, libenter mortem subeant". Judaeos autem libros canone comprehensos credidisse inspiratos, ut nunc seponamus Rabbinos, Josephus et Philo nos docent. Ille namque auctores ea, quae scripserint, ex inspiratione divina didicisse, hic vero de conf. ling. p. 326., „eos loquutos esse numine inspiratos", et de Cherubim p. 116., „eos in persona Dei oracula edidisse inspiratos", scribit.

Atqui si persuasio et fides Judaeorum erronea fuisset, Christus et Apostoli, consideratis hinc ipsorum munere ac indole, inde rei, de qua agitur, gravitate in eam ani-

madvertere debuissent. Atqui nuspiam ulla ejusmodi animadversio reperitur.

Verum non solum Christus et Apostoli Judaeos erroris non accusarunt, sed etiam dictis factisque eorum de librorum inspiratione persuasionem approbaverunt et confirmaverunt. Profecto inspectis libris novi testamenti haec constant: Scilicet Christum ut eum se exhibere, qui scripturas veteris testamenti adimpleret; eundem scripturas ut principium et fundamentum suae institutionis habere; eundem denique scripturis uti ad discipulos confortandos, ad Judaeos arguendos, ad adversarios confutandos. His autem certe approbatio persuasionis Judaeorum de scriptura continetur. Quae praeterea colligitur ex nominibus, quibus veteris testamenti libros Christus ornat Matth. 21. 42: 22. 29; Joh. 17. 12: 10. 34; Luc. 18. 31; Matth. 11. 13; Luc. 22. 44; 24. 45: atque ex iis, quibus Christus vario consilio ad scripturas se recepisse perhibetur Luc. 18. 31; Matth. 26. 24, 31: Luc. 24. 26. sq.; Matth. 24. 15; 9. 13; 12. 3. sq.; 4. 4. sq.; 22. 29; 26. 54; Joh. 5. 39; Matth. 5. 19; 22. 43. coll. Marc. 16. 36. Unde hoc existit argumentum: Qui scripturas Judaeorum iterum iterumque allegat, ad eas continuo se recipit, non obiter tantum eas adhibet, sed etiam firmiter iis insistit; qui iis utitur tam coram amicis, quam coram adversariis, thetice non minus, quam polemice: qui ad eas provocat tam universim, quam speciatim, iis nominibus, quibus Judaei nonnisi certam determinatamque notionem subjiciebant, ad easque provocat tamquam ad verbum Dei, tamquam ad libros a Spiritu sancto dictatos, adeo ut ex iis universa nova oeconomia explorata haberi possit, et eorum ne jota quidem aut apex perire debeat, is profecto Judaeorum de scripturis persuasionem ratam habet totoque suae auctoritatis pondere confirmat. De Christo autem haec omnia asserenda sunt.

Ad Apostolos autem si te convertis, ii scripturas a Judaeis receptas esse docent instar paedagogiae, disciplinae elementaris, viae, qua ad Christum ducamur: no-

mina iis faciunt, quorum significatio apud Judaeos una tantum erat, ea nimirum, quae propriam ipsorum persuasionem praefert; eas adhibent frequentissime ad dogmata probanda, statuunt, vaticinia iis comprehensa impleta vel implenda esse: enarrant analogias iis contentas et typos, quos complectuntur, declarant suisque antitypis ornant: eas citant tamquam verbum Dei, et Matthaeus nominatim ac Paulus haud raro singula verba earum urgent. Jam vero aut deest modus, quo confirmari Judaeorum de scripturis sententia potest, aut iste agendi modus Apostolorum hanc confirmationem continet.

Thesis XXXI. Ut autem librorum veteris testamenti inspiratio iis nominatim demonstratur, quae II. Tim. 3. 15, 16 et II. Pet. 1. 20, 21. leguntur, ita eorundem et aliquot etiam novi testamenti librorum inspirationem probant, quae occurrunt II. Pet. 3. 15, 16.

Dem. part. I. Paulus II. Tim 3. 14. adhortatur discipulum, ut in iis, quae didicerit, traditaque ipsi sint, permaneat, rationemque adhortationis reddit: *sciens a quo didiceris* (v. 10.), *et quia ab infantia sacras litteras* (*τὰ ἱερὰ γράμματα*) *nosti, quae te possunt instruere ad salutem, per fidem, quae est in Christo Jesu.* Cujus sententiae denuo rationem reddens denuo scribit: *Omnis scriptura* (*πᾶσα γραφή*) *divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Jam primo quod ad lectionem attinet, interpres syrus, arabs, vulgatus cum Origene et Clemente Alexandrino non habent particulam *καί* inter *θεόπνευστος* et *ὠφέλιμος*. Vera tamen videtur lectio graeca communis *θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος*, quum eam omnes codices graeci, omnes Patres graeci, plurimi latini, et, excepto Millio, omnes Critici amplectantur. Si deinde quaeritur, ubi ponenda sit copula, re-

ponendum esse videtur, id a lectione pendere, quae eligatur. Si enim cum interprete syro, arabe et vulgato particula *καί* non legitur, copula ponenda esse videtur inter *θεόπνευστος* et *ὠφέλιμος*, si autem lectio graeca retinetur, eadem ponenda est post *γραφή*. Sive autem illo, sive hoc eam loco ponas, eadem manet vis demonstrandi, quae in Apostoli testimonio inest.

Itaque nota, dictionem *τὰ ἱερὰ γράμματα* significare collectionem librorum, quos Judaei divinos habebant: dictionem *πᾶσα γραφή*, *quaevis scriptura*, quum non legatur *πᾶσα ἡ γραφή*, sed *πᾶσα γραφή* significare distributive singulos collectionis libros [1]). Ita si res habet, manifestum est, S. Paulum docere, collectionem istam ac singulas collectionis partes divinitus inspiratas esse. Si enim copulam ponis inter *θεόπνευστος* et *ὠφέλιμος*, sensus est is, quem Origenes et Clemens Alexandrinus indicant. *Πᾶσα γραφή, θεόπνευστος οὖσα ὠφέλιμός ἐστι πρὸς διδασκαλίαν*; quaevis scriptura, utpote divinitus inspirata, est utilis ad docendum. Si autem copulam ponis post *γραφή*, sensus est: Quaevis scriptura est divinitus inspirata, atque hac ex causa utilis ad docendum.

Succedat testimonium II. Pet. 1. 20, 21. Petrus ad Christianos ex Judaeis scribens eos monet, ut attendant prophetico sermoni, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies plenae fidei elucescat in cordibus ipsorum. Tum scribendo prosequitur: *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturae* (idem quod prophetia scripta vel scriptura prophetica) *propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.* Quod quondam Dominus Judaeis dixerat Joh. 5. 39.: *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere, et illae sunt, quae testimonium perhibent de me*, id hoc in loco repetit Petrus, hanc tamen adjicions obser-

[1]) Usu constante tam veteris, quam novi testamenti nomine *scripturae* aut tota collectio librorum, quos Judaei venerebantur sanctos et divinos, aut determinata aliqua hujus collectionis pars designatur.

vationem: Operam dantes scripturae lectioni oblivioni ne dent, quamvis scripturam propheticam seu inspiratam ad spiritum humanum, ut ad proprium interpretem, non referri. Cujus rei affert hanc evidentem rationem, quod nempe inspiratae scripturae auctor sit spiritus humano infinite altior. Quum igitur Petrus de scriptura loquatur, quae apud Judaeos recepta erat, deque singulis libris, quos illa complectebatur, affirmet, apertum est, hos credendos esse conscriptos a sanctis Dei hominibus, sub charismate inspirationis constitutis.

Dem. part. II. Adhortatur Apostolus in altera sua epistola fideles ex circumcisione 3. 1. sq. ad constantiam in fide ac vita vere christiana. Ut porro eos, undique persequutionibus pressos, erigat, confirmet, stabiliat, illum diem retributionis iis ob oculos ponit, in quo creabuntur novi coeli et nova terra, in quibus justitia habitet. *Propter quod carissimi haec expectantes, satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace, et Domini nostri longanimitatem salutem arbitremini; sicut et carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his; in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et caeteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Sola jam appellatione ad scripta fratris sui Pauli Petrus indicium aliquod nobis praebet, ea credenda esse revelata, quum Apostoli ad solas inspiratas scripturas provocare soleant. Quod indicium augetur, addito illo „secundum datam sibi sapientiam". Nam speciale eo exprimi videtur charisma, quod quum de scriptura agatur, aliud vix esse potest, quam charisma inspirationis. Res autem plane conficitur eo, quod Petrus epistolas Pauli exaequat caeteris scripturis. Hac enim exaequatione illas inspiratas esse affirmat. Si nunc quaeris, ad quas Pauli epistolas affirmatio Petri pertineat, respondemus, ad eas eam pertinere, quae, Petro epistolam suam scribente, scriptae jam erant. Scripsit autem Petrus alteram suam epistolam versus finem suae vitae. Ergo vel ad omnes Pauli epi-

stolas, vel ad omnes, excepta secunda ad Thimotheum. affirmatio Petri pertinet.

Afferunt adhuc ut testimonium inspirationis alicujus libri novi testamenti I. Tim. 5. 18: *Dicit enim scriptura: non alligabis os bovi trituranti; et: dignus est operarius mercede sua.* Postrema enim haec verba, inquiunt, non occurrunt, nisi Luc. 10. 7. Sed quid, si Apostolus tantum quoad sensum referat, quae de mercede operariis reddenda Deuter. 24. constituuntur? Dato autem, Paulum citatione illa respicere revera ad Evangelium Lucae, de hujus quoque inspiratione, ut de epistolarum Pauli inspiratione, constaret. At praeter hos libros alii non pauci sunt, qui non modo a catholicis, sed etiam a protestantibus in inspiratorum numerum referuntur.

Thesis XXXII. Inspiratio et divina origo omnium librorum, quos uno ore protestantes cum catholicis ut scripturam recipiunt, sola traditione constare potest.

Dem. Unicum, quod ad libros novi testamenti pertinet testimonium, est illud, quod legitur II. Pet. 3. 16. Atqui hoc testimonio non docemur inspirationem et divinam originem omnium eorum librorum, quos unanimi conspiratione catholici et protestantes ad sacram scripturam referunt. Quum enim Petrus testimonium diceret, nondum omnes isti libri confecti erant, imo quidam nonnisi viginti paene annis post alteram Petri epistolam in lucem prodierunt. Neque dicas, Petrum saltem eos praeter Pauli epistolas libros comprobasse inspiratos, qui eo tempore jam extabant: utpote qui eos retulerit ad „caeteras scripturas“, quas nominat. Id enim sine evidente petitione principii asseri nequit, nisi affirmare velis, solis historicis argumentis aperte demonstrari illos libros, de quibus agitur, aetate illa, ad quam Petri altera epistola spectat,

in censu *scripturarum* habitos jam fuisse. Nescio autem, an ullus id affirmare ausus fuerit.

Jam vero si testimonio divino scripto non omnium librorum, quos uno ore protestantes cum catholicis recipiunt, inspiratio et divina origo constat, aut testimonio divino tradito plurium librorum inspiratio constat aut nullo modo constare potest.

Thesis XXXIII. Hinc protestantes non omnium librorum, quos ut scripturam recipiunt, inspirationem et divinam originem tueri possunt, quin renuntient suae de principio formali fidei objectivae doctrinae.

Dem. Protestantes tenent, ad fidem pertinere omnium librorum, quos ut scripturam recipiunt, divinam inspirationem. Quod autem ad fidem spectat, id verbum Dei est et propter testimonium divinum tenetur. Porro nullum est verbum Dei scriptum de divina inspiratione omnium librorum, quos protestantes recipiunt. Si igitur nihilominus hanc ad fidem pertinere volunt, necesse est fateantur, eam esse verbum Dei traditum ac testimonio divino tradito constare. Haec vero professio componi nequit cum doctrina protestantium de principio formali fidei objectivae.

Cum hac enim consertum est, ut credenda sit plena sufficientia scripturae in eo sita, quod nihil revelatum sit, quod scriptura aut diserte aut saltem virtute et aequipollenter non contineat. Jam vero inspiratio omnium librorum, quos protestantes recipiunt, revelata est et tamen nec diserte nec virtute in scriptura comprehenditur.

Cum eadem ista doctrina consertum est, ut tenendum sit, verbum Dei verbo scripto latius non patere. Omnium autem librorum, de quibus agimus, inspiratio secundum protestantes verbum Dei est, sed non est verbum scriptum.

Cum eadem denique doctrina consertum est, praeter verbum Dei scriptum admitti non debere verbum Dei

traditum. Atqui quum inspiratio omnium librorum secundum protestantes sit verbum Dei, non autem, ut probatum dedimus, verbum scriptum sit, necessario verbum Dei traditum est.

Quare si protestantes, canonem suum ad fidem pertinere, tueri velint, necesse est doctrinae concilii tridentini sess. 4. in decreto de divinis scripturis, pari nempe pietatis affectu et reverentia tam scripturam quam traditionem esse suscipiendam, suffragentur ac assentiantur. Auctoritas namque et reverentia debetur verbo Dei, cui accidit, ut sit scriptum potius, quam traditum. Atqui protestantes in sua de canone sententia persistentes non possunt non admittere utrumque Dei verbum et scriptum et traditum.

At, dices, quamvis protestantes rejiciant traditionem sensu catholico, attamen traditionem simpliciter non respuunt. Nihil itaque impedit, quominus ad inspirationem probandam traditione utantur. Et certe plerique orthodoxi protestantes, ut canonem scripturae, maxime contra rationalistas, in tuto collocent, ad traditionem provocant. Nec immerito, quum negare nemo possit, testimonium divinum de inspiratione alicujus libri per seriem testium humanorum transmitti ita posse, ut certitudo historica de ea habeatur. Verum, qui ita argumentantur, ignorantia doctrinae protestantium laborant. Scilicet non utcumque traditionem sensu catholico negant, sed eo usque, ut principii instar ponant, nullum dogma, proindeque nullum testimonium divinum sola traditione conservatum esse aut conservari ita potuisse, ut certitudo ad fidem requisita obtineri de eo valeat. Nullam hinc protestantes admittunt traditionem, quae vere et plene locus theologicus sit. Sed traditio, quam non rejiciunt, tantum habet vim testimonii historici de sententia temporum anteactorum deque intelligentia verbi Dei, quae apud Christianos diversarum aetatum viguerit, non autem vim testimonii huic sententiae et intelligentiae ullum valorem attribuentis. Ut enim valor ad eam accedat, ac deprehendatur, num vera, an satius erronea sit, exigenda est ad unicam normam et

regulam fidei, sacram scripturam. Quid igitur, si sententia, quam traditio refert, in sacris litteris non continetur? Secundum principia protestantium nunquam vera judicari potest, imo falsa judicanda est, quum quidquid scriptum non est, revelatum esse nequeat. Quare protestantes aut negare debent, inspirationem omnium librorum, quos suscipiunt, testimonio divino constare et ad depositum fidei pertinere, aut renuntiare principiis coguntur, quibus protestantismus nititur.

Sectio III.

Demonstratio canonis.

Thesis XXXIV. Consideratis principiis catholicis statuendum est, solemni definitione concilii tridentini probari, omnes libros in canone ab eodem concilio edito enumeratos eorum numero comprehendi, quos Apostoli tamquam divinitus inspiratos tradiderunt.

Dem. Concilium tridentinum in sessione quarta decretum promulgavit de canonicis scripturis, in quo haec ad rem nostram potissimum pertinentia continentur: „Sacrorum vero librorum indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa synodo suscipiuntur. Sunt vero infra scripti. Testamenti veteris: quinque Moysis, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josuae, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus et secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae minores, id est, Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michaeas, Nahum, Ha-

bacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, duo Machabaeorum, primus et secundus. Testamenti novi: quatuor Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Johannem; Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti; quatuordecim Epistolae Pauli Apostoli, ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; Petri Apostoli duae, Johannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judae Apostoli una et Apocalypsis Johannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit, anathema sit. Omnes itaque intelligant, quo ordine et via ipsa synodus post jactum fidei confessionis fundamentum sit progressura, et quibus potissimum testimoniis ac praesidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in ecclesia moribus sit usura". Ita quidem concilium tridentinum.

Nunc de principiis catholicis. Primum est, quaestionem de canone seu de libris divinitus inspiratis esse quaestionem ad fidem pertinentem. Alterum est, quaestiones ad fidem pertinentes dirimi infallibili testium authenticorum suffragio, utpote quibus, Christo auctore, tota revelata doctrina custodienda, propaganda et explicanda commissa est.

Ex his vero duobus principiis necessaria consequentia fluit, quod thesis asserit. Nam solemnis definitio concilii tridentini de canone est infallibile suffragium testium authenticorum de quaestione ad fidem pertinente. Quare hoc suffragio diremta est haec quaestio, ipsoque constat, inspirationem librorum, quos propositus a concilio canon complectitur, veritatem esse in deposito fidei, quod Apostoli Ecclesiae tradiderunt, comprehensam.

Suffragium vero illud authenticorum testium opportunissimum erat. Nam traditio de canone ita liquida non

erat, ut exclusae essent omnes dubitationes et dissensiones. Has autem, quum de fontibus agatur revelationis divinae, excludi sane opportunum est. Excluduntur autem suffragio testium authenticorum, quod ex divino jure consensum reddit necessarium. Verum non opportunum tantum, sed etiam necessarium idem suffragium erat. Protestantes enim, fidei unitate distracta, aperte negabant, quod traditio reipsa continebat.

Thesis XXXV. Plane improbanda est illorum opinio, qui cum Jahn et Touttée arbitrantur, ne tridentini quidem concilii definitione dogmaticum librorum protocanonicorum et deuterocanonicorum discrimen sublatum esse.

Dem. A saeculo decimo sexto mos invaluit, ut libri, de quorum inspiratione nunquam in Ecclesia dubitatio existebat, *protocanonici*, ii vero, de quibus dubitationes aliquando motae sunt, *deuterocanonici* [1]) dicerentur. Quae proinde denominatio nullatenus significat, inter istos libros discrimen aliquod intrinsecum existere, diversumque iis auctoritatis gradum convenire, sed eo refertur, ut exhibeatur aliquid, quod libris ipsis extrinsecum est et ad canonis dumtaxat historiam pertinet.

Cum quibus non consentiunt quidam cum Jahn et Touttée. Opinantur enim, non solum intrinsecum exstare inter libros protocanonicos et deuterocanicos discrimen, sed etiam hoc discrimen definitione concilii tridentini non esse sublatum, ac nihil obstante hac definitione diversum esse gradum auctoritatis iis convenientis, ita ut proto-

[1]) Libri deuterocanonici universim sunt quatuordecim, septem veteris ac septem novi testamenti. Ex illo sunt libri *Baruch*, *Tobiae*, *Judith*, *Sapientiae*, *Ecclesiastici*, *primus* et *secundus Machabaeorum*. Ex hoc autem *epistola ad Hebraeos*, *epistola Jacobi*, *epistola secunda Petri*, *epistola Judae*, *epistola secunda* et *tertia Johannis* et *Apocalypsis*.

canonici quidem inspirati. deuterocanonici autem tantum ad aedificationem fidelium credendi sint. Omissa priori parte hujus opinionis, quae refutata jacet altera rejecta, ad hanc demonstrandam continuo aggredimur.

In decreto concilii tridentini libris protocanonicis et deuterocanonicis non eandem auctoritatem tribui, vel ex forma definitionis vel ex re definita colligendum est. Atqui ex neutra colligi id potest. Non ex forma; una eademque est, quae ex aequo ad utramque classem librorum refertur. Neque ex re definita.

Nam concilium nullo, ne levissimo quidem, indicio mentionem facit distinctionis inter libros protocanonicos et deuterocanonicos, imo promiscue eos enumerando indicat potius eodem eos habendos esse censu. Docet, omnes eodem pietatis affectu esse recipiendos et eadem colendos reverentia; omnes tamquam sacras scripturas, quarum auctor sit Deus, esse habendos. Omnes proponit velut fontes fidei et morum, ita ut ex omnibus argumenta, quibus fides contra haereticos stabiliatur, ex aequo petenda sint. Tantum igitur abest, ut ex decreto concilii tridentini colligi possit, non eandem protocanonicis et deuterocanonicis libris tribui auctoritatem, ut contrarium colligendum sit [1]).

Accedit luculenta confirmatio ex historia concilii tridentini (Pallavicinius l. 6. c. 11. n. 4. sq.) petita. Narrat hic auctor, legato optimum visum esse, primo loco cata-

[1]) Sensus decreti tridentini a nobis exhibitus solemniter definitus est concilio vaticano sess. 3. c. 3.: „Qui quidem veteris et novi testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in ejusdem Concilii (tridentini) decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo duntaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea, quod Spiritu sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales Ecclesiae traditi sunt". Et respondente can. 4.: „Si quis sacrae scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta tridentina synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit, anathema sit".

logum texere librorum sacrae scripturae, ut certo constet, quibus contra haereticos dimicandum sit armis, et quo firmamento catholica fides fundanda sit. Deinde refert, in coetibus peculiaribus tres has quaestiones propositas fuisse: primo, *utrum omnia utriusque testamenti volumina sint comprobanda;* secundo, *an haec comprobatio per novum examen fieri debeat;* tertio, *an expediat sacros libros in duas dispescere classes, eorum nempe, qui ad promovendam populi pietatem pertinent, et illius ergo ab Ecclesia recepti, nondum autem canonici declarati sunt, et eorum, quibus etiam dogmata fidei innituntur.*

Prima quaestio soluta est affirmative. Secunda, adjectis opportunis declarationibus, in peculiari coetu pariter affirmative, in publica autem sessione negative; tertia denique, licet solutio affirmativa promoveretur a Seripando per eruditum libellum, attamen haec vix ullum invenit laudatorem, et hinc negative pariter soluta est.

Ac ipse etiam Sarpius, pessimae notae scriptor, in sua historia concilii tridentini l. 2. pag. 150. diserte refert, in coetibus peculiaribus praevaluisse et in coetu generali probatam esse sententiam, omnes libros sine discrimine ejusdem auctoritatis declarandos esse.

Qua igitur fronte Jahn introd. ad lib. sac. vet. foed. §. 30. scripsit: Concilium tridentinum de constituendo canone deliberavit, atque testibus Sarpi, historia de conc. trid. l. 2., et Pallavicini, hist. conc. trid. l. 6., acriter de eo decertatum est, contendentibus non paucis, hos libros a primis esse distinguendos et in separatum secundum canonem rejiciendos esse. Quum autem alii opponerent deesse exemplum alicujus concilii, in quo duplex canon statutus esset, et discrimen librorum aliunde notum esse eruditis; omnes tandem praesentes, nempe quadraginta octo Episcopi et quinque Cardinales, consenserunt, ut libri uno ore recenseantur, prout sessione quarta legimus, ubi anathemate configitur, qui non omnes hos integros libros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt, susceperit. Scilicet nihil hujusmodi in historia

concilii tridentini invenitur, et plane immerito auctor concludit, secundum Patrum tridentinorum asseverationem discrimen inter libros protocanonicos et deuterocanonicos sublatum non esse. Novum autem errorem addit, quum statuit, hoc discrimen non magis potuisse ab illis auferri, quam factum, in quo illud fundetur, quod scilicet libri deuterocanonici non ubique et ab omnibus suscepti essent. Videlicet concilium non potuit quidem efficere, ut factum existentis quondam dubitationis de inspiratione istorum librorum fieret ineffectum, sed potuit efficere et revera effecit, ut hoc factum, salva fide, jam non possit existere.

Thesis XXXVI. Repellenda est sententia Richardi Simonis, in determinando canone veteris testamenti non alias esse ecclesiae christianae partes, quam testis ejus doctrinae, cui alexandrina synagoga aetate saltem apostolica suffragabatur.

Dem. In sua bibliotheca critica Richardus primo negat, fieri posse, ut liber aliquis, qui canonicus non sit, auctoritate Ecclesiae canonicus fiat. Deinde affirmat, ab ecclesia exspectari aliud non posse, quam quod testis sit illius census librorum, qui in synagoga obtinuit tum, quum Christianismus propagabatur. Denique ostendere conatur, eundem esse patrum tridentinorum canonem, qui fuit synagogae maxime hellenisticae.

Ad primum quod attinet, auctor confundit aperte inspirationem libri cum declaratione inspirationis. Sed nostra quaestio in eo potissimum versatur, quod altero loco auctor constituit. Admissa nempe ejus opinione, actum esse videtur de vi ac pondere definitionis tridentinae.

Nam concesso, in synagogis hellenisticis lectos fuisse libros deuterocanonicos veteris testamenti, concludi inde nullatenus potest, eos ab illis habitos esse inspiratos, nisi

demonstretur, lectos ideirco eos fuisse, quod canonici aestimarentur. Id autem demonstrare non valet.

Verum denuo concesso, demonstrari id posse, sententiae synagogae deesset infallibilitas. Nam synagoga hellenistica non erat infallibilis, tum quod non esset tota synagoga, sed aliqua duntaxat ejus pars, tum quod tota synagoga, cujus pars erat, charismate infallibilitatis privata jam erat. Si igitur non aliae sunt Ecclesiae partes in conficiendo veteris testamenti canone, quam testis doctrinae, quam alexandrina synagoga aetate apostolica amplectebatur, definitio tridentina, ut quae totam suam vim ex hujus doctrina caperet, infallibilitate destitueretur.

Deinde opinio eadem componi satis nequit cum fide, qua tenemus, Ecclesiam synagoga multo esse perfectiorem, ideoque, sicut uberiori luce perfunditur, ita ejus munus circumscribi ita non posse, ut testis tantum sit synagogae in iis, quae ad inspirationem librorum veteris testamenti pertinent. Scilicet Ecclesia, ut testificandi munus a Christo accepit, ita solius Christi est testis, ac depositum fidei, quod testimonio suo conservat et propagat, non a synagoga, sed a Christo ejusque Apostolis mutuata est, adeo ut nihil ad depositum fidei pertinere, ac de nihilo tamquam ad depositum fidei pertinente Ecclesia statuere possit, quod ipsi a Christo commissum non est. Deinde missio Christi id complectebatur, ut tota per eam revelationis oeconomia absolveretur, ideoque ad omnes veritates fide tenendas ita extendebatur, ut ipsarum magister solus Christus esset vel per semetipsum vel per Spiritum sanctum in Apostolis. Id vero nonne negandum foret, si Ecclesia in constituendo canone veteris testamenti testis tantum esset synagogae sive alexandrinae sive etiam totius? Accedit, quod certe, Ecclesia instituta, omnis praerogativa synagogae peribat, ac omne, quod possidebat jus, transibat ad Ecclesiam. Quare jus quoque de constituendo canone librorum veteris testamenti ad Ecclesiam transibat. Ita vero si res habet, quomodo affirmare vales, Ecclesiam in hoc conficiendo canone partes tantum habere testis

synagogae? Denique, caeteris missis, contra fidem certe peccaret, qui assereret, non potuisse Christum vel Apostolos a Spiritu sancto instructos, quosdam libros, de quibus in synagoga dubitatio exstabat, declarare divinitus inspiratos et ut tales Ecclesiae tradere. Quo igitur jure asseritur, in conficiendo canone veteris testamenti Ecclesiam non alias habere partes, quam partes testis synagogae?

Repugnat praeterea sententia Richardi contra persuasionem Majorum, quibus solemne fuit, contra synagogam libros quosdam ab ea rejectos tueri tamquam canonicos. Fuit hic agendi modus usitatus conciliis, puta hipponensi, carthaginiensi et diversis Romanis, ut infra videbimus, quae nihil synagogae judicium curantes in statuendo canone ad Ecclesiae traditionem provocant. Spectat huc quoque, si *Hieronymo* fidem adhibemus, factum concilii nicaeni. In praefatione enim ad librum Judith scribit: „Apud Hebraeos liber Judith inter hagiographa legitur, cujus auctoritas ad roboranda illa, quae in contentionem veniunt, minus idonea judicatur. Chaldaeo tamen sermone conscriptus, inter historias computatur. Sed quia hunc librum synodus nicaena in numero sanctarum scripturarum legitur computasse, acquievi postulationi vestrae, imo exactioni . . .“

Iisdem Majoribus solemne fuit affirmare ab Ecclesia catalogum librorum sacrorum esse repetendum. Saepe haec affirmatio occurrit apud *Origenem*, ut e. g. in Matth. n. 61.; epist. ad African. n. 4. 13.; *Augustinum* de civ. Dei l. 18. c. 36.; de doct. christ. l. 2. c. 13.; epist. cont. Gaudent. l. 1. c. 31.; *Hieronymum* apolog. adv. Rufin. l. 2. c. 9.; *Isidorum Hisp.* l. 6. c. 1. Unus audiatur *Rufinus* invectivarum in Hieron. l. 2.: „Quomodo ergo isti, qui praecipiebant discipulis, ut attenderent lectioni, emendatas eis et veras non dabant lectiones? et qui praecipiunt, ne attendamus judaicis fabulis et genealogiis, quae quaestiones magis praestant, quam aedificationem, et iterum cavere nos jubent, et observare maxime eos, qui ex cir-

cumcisione sunt, quomodo non praevidebant per spiritum, quod futurum esset tempus post quadringentos fere annos, quando Ecclesia, cognito eo, quod ab Apostolis non sibi esset tradita veritas veteris testamenti, legatos mitteret ad istos, quos illi tunc circumcisionem vocabant, obsecrans et exorans, ut sibi de veritate, quae apud ipsos est, aliquid largirentur". Est hoc ipsum Origenis argumentum in epist. ad African. n. 4., sed injuria contra Hieronymum adhibitum. Qui in apologia reponit, non quid ipse sentiret, sed quid Judaei contra nos dicere soleant, se explicuisse, et si ipsorum objectionibus in prologo non occurrerit, id factum esse, ne non praefationem, sed librum scribere videretur, atque hac ex causa se subjecisse, de quo non est hujus temporis disserere.

Praeterea quum iterum iterumque Majores nostri criterium inquirant, quo inspirati libri a non inspiratis distinguantur, nunquam tamen fidem synagogae tamquam argumentum proponunt, quo peremptorie confici haec res valeat.

Thesis XXXVII. Statutus a tridentinis patribus librorum veteris testamenti canon praeter jus eo nomine impugnatur a protestantibus, quod ei receptus apud synagogam scripturarum catalogus opponatur.

Dem. Synagogae pro eo tempore, quo in divina protectione versabatur, ea conveniebat praerogativa, qua ab errore in fide immunis servabatur. Si igitur vera esset canonis tridentini cum hujus synagogae canone oppositio, jure hunc illi objicere protestantes videri deberent, idque eo vel magis, quod compertum sit, canonem veteris synagogae suffragio Christi et Apostolorum confirmatum esse. Num autem reipsa ulla est oppositio inter canonem tridentinum et canonem synagogae? Tantum abest, ut op-

positio existat, ut doctrina synagogae de libris sacris viam complanet doctrinae catholicae et canoni tridentino.

Profecto ea censemus opposita, quae semet ut affirmatio et negatio de eodem excipiunt. Atqui canon tridentinus et canon judaicus hoc se modo invicem nullatenus habent. Nam idem, quod hoc affirmatur, etiam illo affirmatur, ac nihil, quod canone tridentino affirmatur, negatur canone judaico. Nec putes, inde oppositionem inter utrumque canonem deduci posse, quod Judaei, licet comperti iis fuerint libri deuterocanonici, eos tamen in canonem non receperint. Aliud namque est, hos libros a Judaeis in canonem susceptos non esse, et aliud, eosdem solemni seu authentico synagogae suffragio a canone fuisse exclusos. Authenticum vero ejusmodi suffragium haberi, nemo affirmaverit. Imo indicia non desunt, libros deuterocanonicos habitos a synagoga fuisse divinos, vel certe dubitatum in ea de eorum divinitate fuisse.

Sed non modo canon judaicus tridentino non est oppositus, verum etiam viam ei parat. Ac primo quidem constat, libros deuterocanonicos magno in honore apud Judaeos habitos esse. Testem habes *Josephum* cont. Appion. l. 1. c. 8: „Ab Artaxerxe vero usque ad nostra tempora singula quidem scripta sunt, verum non ejusdem cum praecedentibus libri auctoritatis habentur *διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν*, quia non accurate perspecta erat prophetarum successio“. Quibus docemur, horum librorum auctoritatem non tantam fuisse, quanta erat protocanonicorum, non utique, quod minus intrinsecum eorum pretium crederetur, sed quod certa non esset pretii insiti cognitio. Hinc nil mirum, quod Josephus continuo subjiciat, quae jam supra citavimus: „Porro re ipsa manifestum est, quanto nos veneratione libros nostros prosequamur. Quum enim tot jam saecula effluxerint, nemo nec adjicere quidquam nec ab iis demere aut mutare ausus est. Sed omnibus Judaeis a prima nativitate congenitum est, ut haec scripta credant Dei dogmata et eis inhaereant, ac pro eis, si opus sit, libenter mortem

subeant". Haec ad solos protocanonicos libros Josephum velle pertinere, nonnisi contra rationem contextus asseri posset. Testes habes quoque Talmudistas, quorum de libris deuterocanonicis honorificas sententias collegit *Raimundus Martini* in pugione fidei, et multis adjectis auxit *Josephus de Voisin* in observationibus ad pugionem fidei p. 102—105.

Sequitur aliud magni prorsus momenti ad probandam venerationem, qua Judaei deuterocanonicos libros habebant In synagogis enim hellenisticis legebantur ut caeteri libri. Exploratum siquidem est, synagogam hellenisticam versione septuagintavirali usam esse, quum ante adventum Salvatoris praeter eam alia non existeret et post eundem nonnisi secundo saeculo alia ab Aquila confecta fuerit. Jam vero septuagintaviralis versio non solum omnes continet deuterocanonicos libros, sed etiam eos habet ita cum protocanonicis permixtos, ut nullum illorum ab his discrimen appareat. Novimus equidem, objici nobis posse. codices, quos possideamus, omnes esse editiones christianas, ac proinde permixtionem illam a Christianis doctrinam Apostolorum sequutis vel ab ipsis Apostolis originem forte habere. Verum quum nullum extet vestigium alexandrinae editionis solos protocanonicos libros complectentis, nullumque hac de re praesto sit Patrum scriptorumque testimonium, non facile quis suam faciet istam opinionem, sed satius quisque, qui aequus rerum aestimator esse velit, statuet Apostolos jam in exemplaribus, quibus usi ipsi sunt, libros deuterocanonicos invenisse eosque una cum caeteris Ecclesiae tradidisse.

Thesis XXXVIII. Eodem judicio de protestantibus statuendum est, qui canonem tridentinum oppugnant, quod post Malachiam apud Judaeos charisma inspirationis penitus desierit.

Dem. Ad confirmandam sententiam suam protestantes provocant ad Malach. 4. 5, 6: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam et percutiam terram anathemate.* Tum ad I. Machabacorum 9. 27: *Et facta est tribulatio magna in Israel, qualis non fuit ex die, qua non est visus propheta in Israel.* Quibuscum conferunt haec 14. 41: *Et quia Judaei et sacerdotes eorum consenserunt, eum esse ducem suum et summum sacerdotem in aeternum, donec surgat propheta fidelis.*

Verum quisque perspicit, his nec generatim probari, post exilium in synagoga superna charismata desiisse, nec speciatim ostendi, charisma inspirationis desiisse. Etsi enim ab extructo templo secundo usque ad Christum non amplius ea extiterit solemnis prophetarum successio, qua continebatur ministerium propheticum sacerdotali velut collaterale, inde tamen inferre nullatenus licet, charismati quoque inspirationis ideoque ejus prophetiae, qua conscribuntur libri divini, nullum locum fuisse.

Praeterea protestantes aut opinantur, sub secundo templo omnes plane supernaturales divini numinis manifestationes cessasse, aut arbitrantur, cessasse speciatim charisma inspirationis ad scribendum. Atqui primum est aperte falsum. Quod patet inprimis auctoritate librorum Machabacorum, in quibus referuntur miracula et supernaturales apparitiones, tum auctoritate Josephi, qui plures commemorat sub templo secundo dono prophetiae ornatos, ut Judam Essaeum, de bello jud. l. 1. c. 3., et alios ibid. l. 2. c. 8: et antiq. l. 15. c. 1., ac ibid. l. 3. c. 8. refert, nonis ducentis ante se annis, ideoque centum

fere annis ante Christum divina responsa sacerdotibus in templo fieri desiisse. Auctoritate praeterea Talmudistarum et Rabbinorum, qui tempori secundi templi unanimiter eum gradum divinae manifestationis adscribunt, qui appellatur Bath—Kol (filia vocis). „Praestantiores Sapientum (lib. Kosri p. 3. c. 11.) durante templo secundo videbant figuras et audiebant *filiam vocis*, qui gradus est piorum, quo gradus prophetarum est superior". Denique suffragio novi testamenti, quo Zacharias, Elisabeth, Simon et Anna prophetiae charisma habuisse perhibentur.

Alterum vero affirmare protestantes nequeunt, quin aperte principium petant.

—

Thesis XXXIX. Canon tridentinus ad scientiae normam exactus inprimis quoad libros veteris testamenti habendus est velut ectypus, qui antiquam de libris inspiratis traditionem referat.

Dem. Paucis ea exhibebimus, quae fusius disputata apud Cardinalem Franzelin p. 407. sq. leguntur. Exploratum est, tribus primis Ecclesiae saeculis discrepantiam haud exiguam extitisse inter catalogum librorum veteris testamenti, qui apud Christianos vigebat, et eum, qui proprius Judaeorum erat, et hanc discrepantiam non ad singularia quaedam incisa tantum, sed etiam ad integras partes librorum, imo ad integros libros pertinuisse.

Exploratum praeterea est, absonum eadem illa aetate Christianis visum esse, a Judaeis genuinum canonem scripturarum discere velle, quamvis iisdem persuasum esset, ad disputationem cum Judaeis, ut par est, instituendam necessarium esse, discrimina inter utrumque canonem perspecta habere. Vere haec a nobis dici monstrant testimonia *Origenis* in epist. ad African. n. 2. sq. et *Justini* in dial. c. Tryph. n. 71. sq.

Jam quod ad usum illorum librorum spectat, qui in canone Judaeorum desiderantur ac ideo deuterocanonici nominantur, certum est, eos inde ab apostolica aetate usurpatos eodem modo fuisse, quo adhibebantur protocanonici. Profecto *rationem citandi* hos libros usque ad initium saeculi quarti eandem invenis cum ratione citandi libros protocanonicos. Citantur illi cum his permixte solemnibus formulis: *scriptum est, secundum illud, scriptura dicit, Spiritus sanctus in divina scriptura dicit, dicit prophetia, dicit propheta, dicit lex, dicit Deus.*

Pauca monumenta nobis supersunt ex primo saeculo, sed in his citatos deuterocanonicos libros ita reperis, ut certum reddatur, eos in usu fuisse et non minus habitos divinos, quam protocanonicos.

Clemens Romanus I. ad Cor. n. 27. Sap.; n. 55. partes deuterocanonicas Esther et lib. Judith allegat; lib. Eccli et partes deuterocanonicas Danielis ep. 2. ad virg. n. 13.

Auctor epist. Barnab. adscriptae n. 19. adhibet lib. Eccli.

Polycarpus ep. n. 10. lib. Tobiae.

Hermas l. 3. Past. similit. 9. n. 23. Sap. et Eccli.

Frequentissimus modus citandi, quem diximus, est apud scriptores secundi et tertii saeculi.

Clemens Alexandrinus affert Sap., Eccli., Baruch (nomine Jeremiae, cujus is scriba erat) Tob., Judith., II. Machab.

Origènes Sap., Eccli., Baruch (nomine Jeremiae), Tob., Judith., I. et II. Machab. Affert quoque uterque partes deuterocanonicas Esther et Danielis.

Tertullianus citat omnes, exeptis Tob. et Esther.

Cyprianus item omnes, excepto Judith.

Hippolytus pariter omnes, exceptis Eccli. et Esther.

Irenaeus allegat Sap., Baruch, partes deuterocanonicas Danielis.

Dionysius Alexandrinus Sap., Eccli., Baruch, Tob.

Methodius Sap., Eccli., Baruch.

Sex primi libri constit. apost. citant Sap., Eccli, Baruch, Tob., Judith, partes deuterocanonicas Danielis.

Lactantius Sap., Eccli sub nomine Salomonis, et Baruch sub nomine Jeremiae.

Idem indiscriminatus usus permansit saeculis quarto et quinto, quum nonnulla haesitatio de libris canone Judaeorum non comprehensis orta jam erat. Nullus est ex his saeculis Pater, cujus nempe scripta sat ampla praesto sunt, qui libros deuterocanonicos tamquam sacram scripturam non adhibuerit. Eos tantum nominamus, qui in suspicionem truncati canonis vocari possent.

Athanasius sub formula: *scriptum est* una cum textibus protocanonicis citat Tob. (edit Maur. tom. 1. p. 133. 305.); Sap. (p. 11. 125.); sub formula: *a Spiritu sancto dictum est, juxta illud, s. scriptura dicit* Eccli. (p. 183. 272. etc.); Baruch sub nomine Jeremiae (p. 188.) et sub proprio nomine (p. 517.); partes deuterocanonicas Danielis (p. 417. etc.).

Gregorius Nazianzenus orat. 28. n. 8. sub eadem formula: *ait scriptura* affert Sap. et textum aliquem ex psalmis: et or. 7. n. 1. sub formula: *inquit* Eccli cum Prov.; epist. 102. ad Cledon. Baruch; orat. 36. n. 3. partes deuterocanonicas Danielis.

Amphilochius sub nomine prophetae allegat Baruch et ut scripturam veteris testamenti admittit Eccli.

Cyrillus Hierosolymitanus nomine Salomonis affert Sap., citat Eccli et partes deuterocanonicas Danielis (cat. 9. n. 2. coll. n. 16.; cat. 6. n. 4.; cat. 16. n. 31.).

Epiphanius sub formulis: *divina scriptura, scriptura, dominus per Salomonem, praestantissimus prophetarum dicit* citat saepius Sap. et Eccli.; aliquoties sub formula: *scriptura, propheta dicit* Baruch; mentionem Judith facit cum aliis rebus et personis scripturae (de myst. numerorum tom. 2. p. 305.).

Hilarius nomine *vocis propheticae* et *prophetae* affert Sap. (in ps. 135. n. 11.: de Trin. l. 1. n. 7.); sub for-

mula: *dicit* et nomine Salomonis Eccli (prol. in ps. n. 20.; in ps. 140. n. 5.): Baruch sub nomine Jeremiae (in ps. 58. n. 19.); Tobiam (in ps 118. litt. 2. n. 6.; in ps. 129. n. 7.); denique Judith ut librum Legis (in ps. 125. n. 6.).

Hieronymus sub formula: *scriptum est* simul cum textibus protocanonicis frequenter citat Sap. et Eccli., vel post illos sub formula: *alio in loco, alibi dictum est* (epist. 66. ad Pammach. n. 5.; epist. 125. ad Rustic. n. 19.; dial. cont. Pelagian. l. 2. n. 11.); sub una formula: *in nostris libris legimus* Eccli cum Prov. (in Isai. tom. 4. p. 50.), eundem librum nominat *divinam scripturam* (epist. 118. ad Julian. n. 1.), *scripturam sanctam* (in Isai. p. 57.) Judith cum Ruth et Esther ut sacrum computat (epist. 65. ad Principiam n. 1. et alibi); librum Tobiae affert (in Eccl. 8. tom. 3. p. 451.) eumque testatur esse in usu Ecclesiae, quamvis canon Judaeorum eum non habeat; deuterocanonicas partes Esther non secus, quam protocanonicas adhibet (in Isai. p. 763. 774. et alibi); item partes deuterocanonicas Danielis (in Ose. tom. 6. p. 75. et alibi); libros Machabaeorum appellat sub nomine *scripturae* (in Isai. p. 227. coll. in Dan. tom. 5. p. 675.). Atque his citationibus manifesta fit vis consuetudinis ecclesiasticae, quae tanta erat, ut, quod ad usum librorum deuterocanonicorum attinet, Hieronymus ab ea recedere non auderet. Videns tamen, eos in Hebraeorum canone minime inveniri, in aliquam fluctuationem privatae opinionis incidit, quum solemni judicio Ecclesia de illis libris nondum statuisset. Et revera scripta illa Hieronymi, e quibus potiores desumuntur difficultates, nempe, prologus galeatus, praefatio in libros Salomonis et praefatio in Esdram, edita sunt ante annum tercentesimum nonagesimum tertium, quum canon comprehendens omnes libros a concilio hipponensi totius Africae anno eodem et a concilio carthaginiensi anno tercentesimo nonagesimo septimo nondum editus aut in notitiam Hieronymi nondum perlatus esset. Caeterum citationes a nobis adductae aut omnes aut fere omnes in libris occurrunt, qui post tempus propositi ca-

nonis editi sunt. Hinc contra Rufinum, contra quem anno quadringentesimo secundo scripsit, l. 2. n. 24. 33. ipsum audis rejicientem accusationem, quasi veterem septuagintaviralem editionem magni non faceret ac nominatim non admitteret partes deuterocanonicas Danielis.

Rufinus sub formula: *sanctae scripturae sententia est, scriptura dicit* citat Eccli. In ipsa expositione symboli, ex qua difficultas desumi solet, n. 5. affert Baruch, et sententiam conflatam ex Sap. et Daniele sub formula: *prophetae praedicarunt.* Ac data opera, ut supra jam commemoravimus, tuetur partes deuterocanonicas Danielis.

Leontius Byzantinus sub formula: *ut ait scriptura* citat Eccli. et Baruch nomine Jeremiae (apud Galland. tom. 12. p. 630. 664.).

Joannes Damascenus in sacris Parallelis cum caeteris libris tamquam pertinentes ad „veterem sacrorum oraculorum scripturam" saepissime enumerat Sap. sub nomine Salomonis, Eccli. Baruch, partes deuterocanonicas Danielis. Diserte ut divinam scripturam citat Sap. de fid. orth. l. 4. c. 15., et libros Machabaeorum orat. 3. de defunct.

Ephraem Syrus sub formula: *scriptum est* frequentat Sap, Eccli., partes deuterocanonicas Danielis, Tob. (paraenesi 39.); Judith (In Ezech. op. syr. lat. tom. 2. p. 193.); I. Machab. (l. c. p. 308.) et II. Machab. (p. 228. et bibl. orient. Assemani tom. 1. p. 143).

Qui multo adhuc frequentiores citationes apud caeteros Patres orientales et occidentales videre cupit, adeat opus Vincentii: sessio quarta concilii tridentini vindicata.

Haec quidem de modo citandi, nunc de *codicibus et versionibus ecclesiasticis*, ex quibus pariter colligitur, libros deuterocanonicos cum protocanonicis habitos fuisse divinos.

Cassiodorus instit. div. litt. c. 12. sq. triplicis divisionis librorum scripturae tertiam recenset secundum *antiquam translationem* seu editionem, in qua „septuaginta interpretum translatio veteris testamenti in libris quadraginta quatuor continetur, cui subjuncti sunt novi testamenti libri viginti sex, fiuntque simul libri septuaginta".

Illos vero sic enumerat, ut sine ullo discriminis indicio deuterocanonici cum protocanonicis permixte exhibeantur.

Codices graeci praeseferentes totam collectionem scripturae omnes libros nostros continent, deuterocanonicos et protocanonicos, et quidem illos cum his permixtos. Vetustissimi sunt Vaticanus (littera B. signatus), Alexandrinus (B), Sinaiticus Tischendorfii. Qui praeterea habent librum apocryphum tertium Esdrae, et duo posteriores tertium et quartum Machabaeorum. Ut vero totus fere liber Geneseos in codice vaticano vetustate periit, ita in fine ejusdem desunt libri Machabaeorum. Codices autem graeci fragmentarii, nimirum aliquos tantum libros continentes, quorum antiquissimi sunt Parisiensis (C) et Friederico-Augustaeus Tischendorfii, siquidem plures libros complectuntur, cum libris Salomonis fere semper conjungant Sap. et Eccli., et libris historicis protocanonicis intermiscent deuterocanonicos aut omnes aut aliquos Tob. et Judith, et plerumque Machab., cum propheta Jeremia jungunt Baruch.

Hinc omnes antiquae versiones et editiones ecclesiasticae, quae ex graeca editione originem duxerunt, eodem modo continent libros deuterocanonicos permixtos cum protocanonicis. Ita *aethiopica* saeculi quarti, *armena* saeculi quinti, *syriaca hexaplaris*, ex editione hexaplari Origenis derivata, et alia *syriaca* saeculi septimi et *slavonica*.

In versione latina, quae teste Augustino primis fidei temporibus facta est, omnes deuterocanonicos libros comprehensos fuisse, discimus ab Hieronymo, Augustino, Cassiodoro, ut qui eam nominant ipsam „septuaginta interpretum“. Ex qua versione libri, quos, utpote hebraice non extantes, latinos non fecerat Hieronymus, suscepti sunt in vulgatam Hieronymianam, simulac haec editio ecclesiastica esse coepit.

Unde codices Hieronymianam editionem continentes tam vetutissimi ante recensionem Alcuini, quam qui hanc sequuntur, omnes nostros libros complectuntur, nisi quod quidam Baruch non habeant. Quae res inde tantum ex-

plicari posse videtur, quod librarii, existimantes, librum istum partem esse Jeremiae, quum hanc in bibliotheca sancta Hieronymi non invenirent, ejus descriptionem omiserunt, quod in aliis libris per se consistentibus ausi non sunt. Editionis latinae vestutissimi codices sunt *Amiatinus* saeculi sexti, Toletanus, Cavensis, S. Pauli, Vallicellanus.

Accedit *publica librorum lectio*. Inter libros, quos legendos sub nomine *scripturarum* se a Majoribus accepisse, concilia et Patres maxime Ecclesiae occidentalis testantur, eos omnes et solos enumerant, quos tridentinus canon complectitur. Verum utique est, quum saeculis quarto et quinto ineunte haesitationes de auctoritate deuterocanonicorum orirentur, nonnullos orientales et Hieronymum ac Rufinum statuisse, legi hos libros in ecclesia non ad veritatum ecclesiasticarum confirmationem, sed ad aedificationem plebis; at hujusmodi duplicem et diversam vim, quae publicae lectioni insit, numquam agnoverunt occidentales Patres. Et in ipso oriente causa, cur catechumenis quoque hi libri legerentur, ante exortas saeculo quarto dubitationes plane alia assignabatur, nimirum apertior et simplicior doctrina, ut est in libello Esther aut Judith vel etiam Tobiae aut mandatis Sapientiae, ut loquitur Origenes hom. 27. in Num.

Constat igitur, constanti usu Ecclesiae libros deuterocanonicos inter sacras scripturas habitas fuisse. Atqui hic usus solam apostolicam traditionem causam habere potest. Agitur enim de usu librorum deuterocanonicorum publico et ecclesiastico; de usu praeterea perpetuo, universali et constante, cui vel ii ipsi, in quibus saeculo quarto haesitationes quaedam extiterunt, subtrahere se nec volebant, nec poterant: de usu deinde, qui nisi apostolica traditione nitebatur, intolerabilis abusus fuisset gravissimusque error ad ipsos fontes divinae revelationis spectans; de usu denique, qui excitata controversia non infirmatus, sed confirmatus est, quoniam controversia, quaestionis statu pla-

nius perspecto, in consensionem universalem et manifestam veritatis praedicationem desiit.

Aliud est argumentum, petitum ex diserta doctrina et praedicatione ecclesiastica post controversias exortas vim constantis illius usus Ecclesiae declarante. Huc referendi sunt canones propositi in Ecclesia occidentali. In his merito numeratur ipsa vetus editio latina scripturae. Hanc porro omnes et solos libros, quos continet canon tridentinus, comprehendisse, constat ex descriptione Cassiodori, ex citationibus Patrum latinorum saeculi tertii, Tertulliani, Cypriani aliorumque et ex canonibus deinceps in Ecclesia occidentali editis, quorum norma certe alia non fuit, quam editio recepta et publicus ejus in Ecclesia usus. Quare plane certum est, in omnibus latinae Ecclesiae codicibus saeculo quarto extitisse libros deuterocanonicos cum protocanonicis sine ullo ullius illorum ab his discriminis indicio permixtos. Ergo idem locum habuit tempore saeculum quartum antecedente, ab ipsa nempe versionis latinae origine. Nemo namque dicet, tempore, quod medium est inter hanc et saeculum quartum, in scriptura latina insertos esse libros deuterocanonicos. Hujus namque mutationis sane gravissimae causam rationemque Episcopi et fideles postulassent[1]). Sed ne levissimum quidem indicium ejusmodi postulationis in omnibus antiquitatis monumentis deprehenditur. Quamobrem libri deuterocanonici simul cum protocanonicis tamquam ad unam eandemque scripturam pertinentes lingua latina donati et Ecclesiis latinis traditi sunt. Quandonam autem versio facta est? Versionem latinam, quae *Itala* nominabatur ac inter caeteras eminebat, exeunte saeculo secundo et ineunte tertio latissime ubique propagatam fuisse, docemur

[1]) Refert *Augustinus* epist. 71. ad Hieronymum, Episcopum aliquem Africae, versione Hieronymiana utentem, populi tumultu coactum esse, ut denuo antiquam versionem adhiberet. Hujus vero tumultus causam hanc unam fuisse, quod in versione Hieronymiana unum alterumve verbum aliter positum esset, quam in antiqua, quam eo usque populus audire consueverat. Quid igitur, si integri libri adjecti caeteris fuissent?

a *Tertulliano* de monogam. c. 11.; cont. Prax. c. 5.; cont. Marc. l. 2. c. 9. Itaque assentiendum omnino esse videtur *Augustino* de doct. christ. l. 2. n. 16. scribenti, latinam versionem „primis fidei temporibus“ fieri coepisse. Ita autem si res habet, canon omnes libros nostros comprehendens publice et ubique receptus erat in latina Ecclesia ipsis primis fidei temporibus. Verum fieri omnino non potuisset, ut inter scripturas verterentur et publice reciperentur libri, qui non existebant in editione graeca Ecclesiarum: Ergo in hac apostolicis temporibus inveniebantur libri deuterocanonici permixti cum protocanonicis. Atqui graeca editio, quam apostolicis temporibus adhibebat Ecclesia, est ea ipsa, qua utebantur Apostoli quamque una cum praedicatione relinquebant Ecclesiae. Relinquere autem Ecclesiae non potuissent, nisi eam consecrassent et approbassent tamquam collectionem librorum divinitus conscriptorum.

Quoniam vero haec traditio scripturarum ab Apostolis ad Ecclesiam perveniebat velut in propositione complexa, quae doctrinam de singulorum librorum inspiratione implicitam continebat, et quoniam magis usu, quam aperta de singulis libris praedicatione proponebatur, fieri potuit et reipsa factum est, ut haesitationes quaedam orirentur de libris istis, quos Judaeos in suo canone non habere viri docti videbant. Stadium nimirum consuetudinis ecclesiasticae in simplici fide fundatae excepit stadium alicujus obscuritatis et controversiae. Quo stadio obtinente, Pastoribus Doctoribusque Ecclesiae officium erat, diserta doctrina traditionem ab Apostolis et Majoribus acceptam firmandi et explicandi vim consuetudinis ecclesiasticae eamque defendendi.

Habes hinc inprimis statutum concilii Hipponensis totius Africae anno tercentesimo nonagesimo tertio celebrati, quod repetiit et confirmavit concilium carthaginiense tertium anno tercentesimo nonagesimo septimo. „Ut praeter scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum scripturarum. Sunt autem canonicae

scripturae: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesu Nave, Judicum, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Job, Psalterium Davidicum, Salomonis libri quinque, duodecim libri prophetarum, Esaias, Jeremias, Daniel, Ezechiel, Tobias, Judith. Hester, Hesdrae libri duo, Machabaeorum libri duo. Novi autem testamenti Evangeliorum libri quatuor, Actus Apostolorum liber unus, Pauli Apostoli epistolae tredecim, ejusdem ad Hebraeos una, Petri duae, Johannis tres, Jacobi una, Judae una, Apocalypsis Johannis. Ita ut de confirmando isto canone transmarina Ecclesia consulatur. Liceat etiam legi passiones martyrum, quum anniversarii dies eorum celebrantur". Idem decretum, eodem servato librorum ordine, repetitum est can. 29. concilii carthaginiensis anno quadringentesimo decimo nono ab Episcopis circiter ducentis decem et octo coram legatis Romanae sedis celebrati. Conclusionem aliam habet hanc: „Hoc etiam fratri et consacerdoti nostro Bonifacio, urbis Romae Episcopo, vel aliis earum partium Episcopis pro confirmando isto canone innotescat, quia a Patribus ita accepimus in Ecclesia legendum".

Sub tempore concilii carthaginiensis tertii eosdem libros, ordine paullulum mutato, tamquam canonicos recensuit *Augustinus* de doctr. christ. l. 2. c. 8.

Qui propositus est in Africana ecclesia librorum divinorum canon, eundem tenuit Romana. Postquam *Innocentius I.* in epist. 6. ad Exsuperium Tolosanum monuit, se docere sequendum, quod „custodita series temporum demonstret", c. 7. scribit: „Qui vero libri recipiantur in canone, brevis annexus ostendit: Moysis libri quinque . ." In librorum enumeratione id animadversione aliqua dignum, quod Innocentius, sicut et Augustinus, duos Machabaeorum ponat ante duos Esdrae protocanonicos.

Epistolam hanc Innocentius scripsit anno quadringentesimo quinto. Eosdem, qui in ea recensentur libri, *Gelasius I.* anno quadringentesimo nonagesimo sexto recipiendos in concilio septuaginta Episcoporum decrevit.

Sub hujus Pontificis tempus inter alia praedictus scripturarum catalogus in eas, quae inscribuntur: „Constitutiones sedis Apostolicae“ (Oper. S. Leonis edit. Baller. tom. 3. p. 98.) susceptus est ac in alias deinceps vetustas canonum collectiones, ut Dionysii Exigui, Ferrandi Carthaginiensis, Cresconii, et denique Gratiani. Quum vero hae collectiones, maxime Dionysiana et Gratiana notissimae essent in tota occidentali Ecclesia, liquet catalogum istum in universa Ecclesia latina receptum fuisse.

Hinc eundem catalogum invenis prolatum saeculo sexto a *Cassiodoro* div. instit. c. 1—9. 13. 14.; saeculo septimo ab *Isidoro hispalensi; Ildephonso*; *Eugenio*, utroque *Toletano;* saeculo octavo a *Leone III.*; saeculo nono a *Theodulpho Aurelianensi* et a *Rhabano Mauro*; saeculo duodecimo ab *Honorio Augustodunensi; Petro Blessensi*[1]; saeculo decimo tertio a *Vincentio Bellovacensi* aliisque multis usque ad concilium florentinum.

In hoc concilio Eugenius IV. decreto pro Jacobitis docet, unum eundemque Deum veteris et novi testamenti auctorem Romanam Ecclesiam profiteri, quum uno eodemque Spiritu sancto inspirante utriusque testamenti sancti loquuti sint, horumque libros eam suscipere et venerari. Quos libros deinde enumerat; eosdem nimirum, quos concilium tridentinum recenset.

Graeci vero saeculo septimo in concilio Trullano, quod veluti continuationem habent concilii oecumenici sexti, can. 2. cum statutis aliorum conciliorum et Patrum susceperunt etiam centum triginta quinque canones Africanos, quorum vigesimus septimus complectitur decretum concilii carthaginiensis anni quadringentesimi decimi noni de scripturis canonicis. Quod argumento est, illos canonem africanum non invenisse dissentientem a fide et usu Ec-

[1]) Saeculi duodecimi est etiam historia scholastica *Petri Comestoris*. In qua legitur: „Machabaeorum apocrypha sunt, quod auctor ignoratur eorum, sed quod de veritate non dubitatur, ab Ecclesia recipiuntur“. Itaque nota, apocryphum ab hoc scriptore dici, cujus vel auctor incertus vel materia incerta.

clesiae graecae. Nihil autem huic argumento obest, quod canonum apostolicorum et laodicenorum, qui eodem isto canone suscipiuntur, duo sint, illorum octogesimus quintus, horum sexagesimus, alium catalogum continentes. Diversus enim hic utique est, non autem contrarius.

Etiam ecclesia schismatico-graeca in canone suo servat libros deuterocanonicos. Et quum Cyrillus Lucaris saeculo decimo septimo in protestantium gratiam deutero canonicos rejicere auderet, damnationem tulit a synodis coactis a Parthenio Constantinopolitano, Dositheo Hierosolymitano, Macario Antiocheno, patriarchis schismaticis.

Nec dissimilem esse aliarum sectarum orientalium sententiam, demonstrat de Syris et Chaldaeis auctor perpet. fid. tom. 3. p. 551.; de Aethiopibus Ludolphus hist. Aethiop. l. 3. c. 4.; ac de Armenis idem ille auctor perpet. fid. tom. 3. p. 560. 566.

Thesis XL. Immerito autem protestantes ad impugnandam hanc veritatem provocant sive ad controversiam, quae intra ipsos fines Ecclesiae extiterit, de compluribus libris veteris testamenti sive ad canones saeculorum quarti et quinti, qui complures non comprehenderint, sive ad testimonia quaedam scriptorum sequioris aetatis.

Dem. part. I. Nihil ex controversia, quae de compluribus libris veteris testamenti aliquando intra fines Ecclesiae extitit, inferri posse, quod tridentino canoni librorum veteris testamenti jure objiciatur, haud difficulter perspicitur, si animum advertis hinc ad tempus, quo existere haec controversia coepit, inde ad propriam ejus originem.

Nulla alicujus momenti controversia de libris deuterocanonicis extitit ante saeculum quartum. Si qua enim extitisset, certe Patres scriptoresque priorum saeculorum, qui frequentissime libros istos citant, aliquam ejus mentionem injecissent. Nulla vero in ipsorum operibus hujus-

modi mentio occurrit. Opponi huic affirmationi videri possent *Melito*, saeculi secundi scriptor (Euseb. hist. eccl. l. 4. c. 26.), et *Origenes*, qui ad tertium saeculum spectat (Ibid. l. 6. c. 25., et in philocalia c. 5.). sed reipsa non opponuntur. Nam uterque illis in locis in eo est, ut libros, a Judaeis etiam receptos, enumeret, non vero ut de canone ecclesiastico statuat. Ac de Origene quidem dubitatio nulla esse potest. Diserte namque adjicit: *ut Hebraei tradiderunt, secundum Hebraeos.* Servat praeterea modum numerandi Judaeorum ac adhibet appellationes singulorum librorum Judaeis tantum solemnes. Deinde in epistola ad Africanum alium canonem propugnat, quem christiana nimirum Ecclesia sequitur. Denique in diversis operibus suis omnibus veteris testamenti libris eodem sine ullo discrimine modo utitur [1]). Idem quoad Melitonem rei confessae instar est. Postulationi Onesimi Episcopi, quot et quales sint veteris testamenti libri, satisfacturus Melito locum petiit, in quo, quae ille quaerebat, praedicata et facta sunt, ac diligenter inquisivit in libros veteris testamenti eorumque catalogum conscripsit. Jam vero postulatio Onesimi de libris tantum veteris testamenti et studium accurate cognoscendi, quae in eis de Salvatore et religione christiana contineantur: consilium, quo Onesimus ad illam postulationem movebatur, pugnandi nempe pro religione christiana; iter, quod in Palaestinam ingressus est Melito, plane probare videtur, actum esse de canone Judaeorum, idque eo vel magis, quod Onesimo et Melitoni, Asiae minoris Episcopis, Christianorum canon non potuerit non esse perspectus. Et profecto dicatur, apud quos in Palaestina investigationes de canone Melito instituerit? Num apud Ecclesias ex gentibus collectas, seu secundum harum ritum institutas? Atqui

[1]) Hinc collige, quod de princ. l. 4. n. 33. legitur, librum Sap. non ab omnibus recipi in auctoritatem, id non Origeni, sed Rufino interpreti esse tribuendum, qui utique de Sap. libro cum aliquibus aliis non rite sentiebat.

hae non aliam scripturam possidebant, quam quae in editione graeca Alexandrina ubivis ab Apostolis tradita erat. An apud Christianos judaizantes? Atqui aetate Melitonis nulli jam exstabant, nisi sectarum hacreticarum. Scilicet restat, ut affirmetur apud Judaeos catalogum librorum, quos ipsi suscipiebant, quaesivisse. Quod vero de Melitone scribit Eusebius, eum confecisse catalogum librorum veteris testamenti *ὁμολογουμένων*, id sic accipias, quod nempe catalogum exhibuerit librorum, qui non quidem Melitonis, attamen Eusebii aetate *ὁμολογούμενοι* in oppositione ad *ἀμφιβαλλομένους* erant.

Afferri contra nostram sententiam adhuc possent canon 85. apostolicus et c. 57, l. 2. const. apost. Verum ille, ut a consentientibus Criticis discimus, saeculo tertio est posterior, hoc autem, non completum canonem librorum describit, sed libros in synaxi legendos indicat. Caeterum dictione: legendos esse libros, qui pertinent ad reditum ab exilio, et Jobi et Salomonis et sexdecim prophetarum. quantum satis est, deuterocanonici libri significantur.

Nunc jam de propria origine hujus controversiae, cujus ante saeculum quartum nullum certum indicium reperitur. Ponenda ea esse videtur in comparatione scripturarum Ecclesiae cum scripturis canonis Judaeorum. A fine saeculi tertii usque ad medium saeculi quarti editio hexaplaris Origenis, in qua diligenter notatum erat, quidquid in hebraico textu deerat, latissime per Ecclesiam diffundebatur. Mirum proinde accidere non potest, quod non pauci de ratione quaererent, cur editio ecclesiastica complectatur multa, quae a Judaeis non admitterentur. Et certe praecise hoc tempore primum invenitur divisio librorum in *ὁμολογουμένους* et *ἀντιλεγομένους*. Controversia et dubitatio ista ab Ecclesia latina, quae saltem usque ad Hieronymum in sua editione Origeniana signa non habebat, remota manebat. In ipsa nulla cernitur dissensio, nisi apud Hieronymum, qui nititur comparatione cum libris Judaeorum, et aliquam controversiae significationem a Graecis transsumptam apud Hilarium et Rufinum.

Confirmatio accedit ex eo, quod plures graeci doctores librum Esther, qui in canone Judaeorum existit, ponant cum *ἀντιλεγομένοις* contra librum Baruch, qui jam diu inter hebraicas scripturas non extat, et partes deuterocanonicas Danielis referant ad *ὁμολογουμένους*. Haec res prorsus singularis explicationem inde tantum habet, quod hexaplaris editio Origenis ipsis de libris statuentibus praeluxerit. In ista enim, ut monstrat codex Chisianus, liber Baruch signis notatur indicantibus, eum in textu hebraico haberi, item partes deuterocanonicae Danielis iisdem signis notantur. Initium vero libri Esther (somnium Mardochaei) notatur signis indicantibus, in textu hebraico eum non inveniri.

Denique et id considerandum est, quod doctores, qui controversiam de libris deuterocanonicis indicant, magno consensu ad numerum viginti duarum litterarum hebraicarum, cui respondeat librorum numerus, provocent[1]). Qua provocatione sat clare monstrant, ipsos ex recensione hebraica pendere. Imo quandoque aperte declarant, rationem ponendi aliquem librum inter *ὁμολογουμένους* vel *ἀντιλεγομένους* se ex canone hebraico petere. De hac autem potissimum ex signis Origenianis judicabant.

Dem. part. II. Singillatim inprimis proponendi sunt canones, ad quos se recipiunt ii, qui impugnare canonem tridentinum student.

Athanasius (epistola festalis) numerat omnes libros protocanonicos, excepto libro *Esther*, et cum Jeremia Baruch. Addit, alios etiam esse extra istos, „non in canonem quidem redactos, sed a Patribus designatos, ut legantur re-

[1]) Hilarius praef. in ps. n 15. agens de mystica significatione et plenitudine illius numeri, describit viginti duos libros Hebraeorum, ut ab iis numerari ab Origene didicerat. Sed ne putes, hanc numerationem ipsum putare plenam. Nam scribit eodem in loco, si numerus litterarum graecarum et latinarum sumatur, addi illis viginti duobus libris posse libros Tobiae et Judith, ut obtineatur numerus litterarum numero respondens.

center accedentibus et volentibus institui in doctrina pietatis: Sapientia Salomonis, Sapientia Sirach et Esther et Judith et Tobias. et doctrina, quae dicitur Apostolorum, et Pastor".

Synopsis, quae Athanasii dicebatur, numerat viginti duos libros, ac singulorum initium notat. Daniel incipit ab Historia Susannae et totus intra illum numerum ponitur; Esther exordium sumit a somnio Mardochaei, et ponitur extra numerum inter eos. „qui non sunt quidem in canone, sed leguntur tantum". et „quibus contradicitur". Advertitur tamen. librum Esther „secundum quosdam Veterum apud Hebraeos inter canonicos censeri"; qua admissa sententia librum Ruth cum libro Judicum conjungendum esse, ac ita manere numerum viginti duorum librorum. Librum Baruch sub nomine Jeremiae complectitur. Libros *ἀντιλεγομένους* recenset Sapientiam Salomonis, Sapientiam Sirach, Esther, Judith, Tobiam, Machabaeorum libros quatuor, Ptolomaicos, psalmos et canticum Salomonis, Susannam. His adjicit apocryphos libros Sophoniae prophetae, Zachariae patris Johannis, Baruch, Habbacuc, Ezechiel, Daniel „falso inscriptos".

Gregorius Nazianzenus carmine duodecimo, eosdem libros numerat, quos Athanasius indicat, omittens et ipse *Esther;* ac in novo testamento omnes enumerat, excepta Apocalypsi.

Amphilochius, si ipsius, et non potius Gregorii Nazianzeni est carmen ad Seleucum, eandem habet enumerationem. De libro autem Esther scribit, eum a quibusdam in canone poni. In novo testamento mentionem facit controversiae de epistolis ad Hebraeos, II. Pet., II. et III. Joh., Jud., et de Apocalypsi. Concludit: „Hic certissimus fuerit canon scripturarum divinitus inspiratarum".

Cyrillus Hierosolymitanus, qui ut caeteri commemorati Patres declarat, hoc sibi consilium in recensendis libris esse, ut catechumeni ab apocryphis arceantur, atque hac de causa se solos libros ponere unanimi consensu receptos, catechesi quarta secundum numerandi modum He-

bracorum ponit viginti duos libros, inter quos librum Esther. Cum Jeremia ut librum unum assignat „Baruch et lamentationes et epistolam“. Librum Ruth conjungit cum Judicum. In novo testamento, excepta Apocalypsi, omnes ponit. Caeteros libros omnes in secundo loco esse vult, ea autem, quae in Ecclesia non legantur, ne privatim quidem legi.

Hieronymus in prologo galeato eos solos libros adducit, qui in hebraico textu adhuc supersunt. „Quidquid extra hos est, inter apocrypha est ponendum“. Apocryphos eos dicit non absolute, sed relative comparate ad canonem, quem Hebraei etiam admittebant, quemque nemo in dubitationem adducebat. Hoc sensu solo intelligendum esse Hieronymum, probatur tum ex modo, quo Hieronymus libris deuterocanonicis utitur, tum ex ejus in prologo ad libros Salomonis attestatione, hos libros in usu Ecclesiae fuisse: tum vero ex integro contextu et ex addita monitione, ne quis laborem ab ipso susceptum vertendi solos hebraicos reprehensionem antiquorum esse censeat. — In prologo ad libros Salomonis, postquam notavit, libros Eccli et Sap. in canone Hebraeorum non esse, Ecclesiam dicit eos legere, ut Judith et Tobiam, non ad auctoritatem ecclesiasticorum confirmandam, sed ad aedificationem plebis. „Si cui sane septuaginta interpretum magis editio placet, habet eam a nobis olim emendatam; neque enim nova sic cudimus, ut vetera destruamus“. Unde colligis, Ecclesiam omnes istos libros in sua lectione habere, quum omnes in editione graeca Alexandrina sibi tradita comprehenderentur; non tamen eos in illo canone habere, qui hebraicas tantum scripturas complectitur. Ex quo in istiusmodi canone defectu de pari eorum cum caeteris auctoritate controversiae apud quosdam ortae sunt. Unde Hieronymus libros istos dubios appellat; deque ipsis Augustinus de civ. Dei l. 17. c. 20. profitetur, contra *contradictores* non tanta firmitate proferri, quae in canone Judaeorum scripta non sint. Atque his denuo confirmatum cernis, quod supra de significatione vocabuli apocryphi in

prologo galeato statuimus. Quam aliis locis Hieronymi, in quibus eodem vocabulo utitur, impugnare velle ineptum est, quandoquidem eidem vocabulo diversi sensus inesse possint.

Rufinus de symb. n. 37. 38. enumerans libros, quos Patres intra canonem concluserunt, et ex quibus fidei nostrae assertiones constare voluerunt, novi quidem testamenti omnes, veteris autem solos protocanonicos nominat. Monet tamen, alios etiam esse libros, qui non canonici, sed ecclesiastici nuncupati sint; quos in Ecclesia legi, non tamen ex eis fidei dogmata confirmari Patres voluerint. Non constat, unde denominationem ecclesiasticorum librorum in distinctione a canonicis desumpserit. Distinctio videtur eadem esse cum distinctione Eusebii in libros *ὁμολογουμένους* et *ἀντιλεγομένους*, de quibus a nonnullis dubitatur, quí tamen „in plerisque ecclesiis sunt publici", „qui plerisque sunt probati", „plerisque ecclesiasticorum virorum sunt cogniti" (Hist. eccl. l. 3. c. 21. 31.).

Canon Apostolicus 85. nullius est auctoritatis juridice, quum canones Apostolici a Gelasio Papa inter libros apocryphos relati sint, et 85. nominatim numquam ab Ecclesia occidentali admissus sit; nullius auctoritatis deinde est historice. Plura namque habet plane singularia, puta quod, quamvis omittat deuterocanonicos libros veteris testamenti, nihilominus libros Machabaeorum tres et in aliquibus codicibus librum etiam Judith cum protocanonicis permixte ponat; quod recensens libros legendos extra numerum protocanonicorum solum Eccli adducat, non autem Sap., quod inauditum est; quod inter libros novi testamenti ante librum protocanonicum Actuum collocet duas epistolas Clementis et octo libros constitutionum Apostolicarum.

Canon Laodicenus 60. libros, quos legi oportet, veteris testamenti numerat viginti duos secundum numerationem Hebraeorum, cum Jeremia vero jungit Baruch et threnos et epistolas. Novi testamenti affert omnes, excepta Apocalypsi.

Jam principia statuenda sunt ad hos canones explicandos opportuna. Primum est: Patres nomine canonis et librorum canonicorum intellexerunt libros illos viginti duos Hebraeorum, qui ista etiam aetate, in qua scribebant, apud omnes in confesso erant (*ὁμολογουμένους*). Hinc libri, qui illa aetate in controversiam vocari coeperant (*ἀντιλεγόμενοι*) extra canonem ponendi erant, quin tamen ideo negaretur, eos ad inspiratam scripturam pertinere.

Probatio petitur inprimis ex Eusebio, qui caeteris clarius divisionem librorum in *ὁμολογουμένους* et *ἀντιλεγομένους* exponit. Eo autem, Eusebio auctore, ista refertur, ut maxime patet ex c. 25. lib. 3. hist. eccl., ut soli illi canonici, hi vero non canonici dicantur.

Deinde ex Augustino, a quo discimus nomen libri canonici aetate, de qua agimus, a Latinis quoque strictiori significatione adhibitum librum designasse canonis hebraici, quin idcirco aliis libris canonica auctoritas apud Christianos detracta intelligenda esset. „Restituto templo, scribit Augustinus de civ. Dei l. 18. c. 36., non reges, sed principes fuerunt usque ad Aristobulum, quorum supputatio temporum non in scripturis sanctis, quae canonicae appellantur, sed in aliis invenitur, in quibus sunt et Machabaeorum libri, quos non Judaei, sed Ecclesia pro canonicis habet“.

Praeterea ex declaratione eorum ipsorum Patrum, qui canones composuerunt. In primo ordine se eos solos libros complecti declarant, „de quibus plena est persuasio“ (Athanasius), „qui apud omnes sunt in confesso“ (Cyrillus Hierosolymitanus et auctor synopseos Athanas.), „qui definito judicio sunt inserti“ (Gregorius Nazianzenus), „quorum certissimus canon“ (Amphilochius), „qui sunt certi“ (Hieronymus).

Denique ex usu, quem Patres librorum faciunt, quos extra canonem ponunt.

Cum hoc primo principio connexum est alterum: Canones propositi excludunt quidem a scripturarum catalogo libros apocryphos, minime vere libros secundi ordinis ex-

cludunt tamquam libros certe ac definita sententia ad scripturam non pertinentes. Hinc loquutiones excludentes Patrum recensitis libris in numero solemni viginti duorum contentis adjectae: „In his solis esse doctrinam pietatis“, „hos solos esse genuinam scripturam“, accipiendae sunt in oppositione ad libros apocryphos, non autem in oppositione ad libros secundi ordinis.

Probatur ex ipsa natura discriminis inter libros certe divinos et certe non divinos ac, qui inter ipsos medii sunt, dubios, in dubium scilicet a nonnullis vocatos.

Probatur deinde ex eo, quod iidem Patres, qui canones composuerunt, utantur libris deuterocanonicis ut scripturis divinis.

Probatur denique ex consilio, quo ad canonem proponendum Patres motos se esse dicunt, ut nimirum fideles tuerentur a libris apocryphis, quos haeretici obtrudebant.

Tertium principium ita habet: Si Patres quandoque statuunt, libros deuterocanonicos ad aedificationem quidem fidelium legi, non autem ad dogmatum confirmationem afferri posse, haec eorum affirmatio non ita accipienda est, quasi de intrinseco valore illorum agerent, sed intelligenda est pertinere ad significationem dubitationis apud aliquos de illis libris existentis. Unde intelligitur sensus, quo Augustinus de doct. christ. l. 2. c. 8. de majore minoreve auctoritate scripturarum canonicarum loqui poterat. Non de ipsarum nempe in se auctoritate agit, sed de auctoritate, quae ex modo fluit, quo libri innotescunt. Quamvis enim Augustino probe constaret, quinam sit catalogus librorum canonicorum, quamvis probe nosset, omnes et singulos esse, ut ipsius verbis utamur, eminentissimae auctoritatis, attamen noverat etiam, de nonnullis horum librorum alicubi excitatas esse dubitationes, quas, quamdiu in Ecclesia tolerabantur, damnare velut haereticas nolebat. Inde professio ipsius, libros alicubi minus certos „non tanta firmitate contra contradictores proferri“; et monitio ad solertem indagatorem de doct. christ. l. c.: „ut eas, quae ab omnibus accipiuntur ecclesiis catholicis,

praeponat eis, quas quaedam non accipiunt; in eis vero, quae non accipiuntur ab omnibus, praeponat eas, quas plures gravioresque accipiunt, eis, quas pauciores minorisque auctoritatis Ecclesiae tenent[1]).

Dem. part III Argumentantur denique ex eo, quod quidam etiam sequioris aetatis scriptores librorum catalogum proponant allatis similem. Sed respondetur, horum scriptorum catalogos habere tantum vim testimonii historici de statu quaestionis, qualis quarto quintoque saeculo fuerat, ac forte argumenti, quod quaesito etiam tunc solemni omnibusque noto judicio ita definita nondum fuerit, ut nulla antecedentis haesitationis indicia apud nonnullos inveniri possent.

Proferunt *Junilium Africanum*, saeculi sexti scriptorem, a Paulo Persa Constantinopoli instructum. Qui de part. div. leg. I. I. c. 3. 7 libros in tres classes distribuit, in eorum in libros *perfectae auctoritatis*, qui omnium consensu ab ipsis quoque Hebraeis suscipiuntur et canonici nominantur; in libros deinde *mediae auctoritatis*, qui a pluribus cum canonicis conjunguntur, non tamen paris auctoritatis apud omnes sunt; in horros denique *nullius auctoritatis*, qui simpliciter apocryphi sunt.

Verum hujus scriptoris omnis evanescit auctoritas, si distributionem singulorum librorum contemplaris. Adeo in ea singularis est, ut nullum sive in Africa sive alibi habeat consentientem doctorem. Refert ad *tertium ordinem* duos libros Paralip., Job, duos Esdrae, cantic. cant., qui

[1]) *Gregorius Magnus* Moral. I. 19. c. 21. libros Machab. adhuc distinguit a scripturis canonicis. „Non inordinate agimus, si ex libris licet non canonicis, sed tamen ad confirmationem Ecclesiae editis testimonium proferamus.“ Scripsit haec Apocrisiarii munere Constantinopoli fungens. Sed quo sensu? Certe non quod canonicos illos libros esse simpliciter negare vellet, in Ecclesia enim Romana post decreta maxime Innocentii et Gelasii de hac re ne dubitatio quidem existere potuit, sed partim sensu, quem ab Augustino significatum exposuimus partim sensu orientalium Patrum supra exhibito, quod nempe non pertinent ad viginti duos Hebraeorum canone comprehensos.

omnibus fatentibus *ὁμολογούμενα* sunt et Hebraeorum canone comprehenduntur. Ad *ὁμολογουμένους* contra refert librum Eccli.

Provocant praeterea ad *Leontinum Byzantinum*, saeculi septimi. De sect. act. 2. ex vetere testamento affert viginti duos canonis hebraici, omisso Esther. Sed sciendum est, Leontii isto in loco consilium non esse recensere omnes scripturas Christianorum, sed in vetere testamento tantum eos, qui ab Hebraeis quoque admittebantur. „Veteris testamenti hos libros omnes recipiunt Hebraei. Quae quum ita sint, decet Hebraeorum dogmata primum exponere . . .“

Addunt *Johannem Damascenum*, saeculi octavi, et *Nicephorum*, saeculi noni. Sed ille de fid. orth. l. 4. c. 17. tantum ex Epiphanio libros numerat, ut sunt apud Judaeos. Hic autem in stichometria post chronographiam desumit libros omnium trium classium veteris testamenti ex synopsi Athanasiana, novi autem testamenti catalogum mutuatur a Nazianzeno, Cyrillo et concilio laodiceno, et cum ipsis omittit Apocalypsin. Num vero putas, hos scriptores statum quaestionis exhibere, ut erat in Ecclesia graeca saeculis octavo et nono? Oblivioni ne detur, ipsos post concilium trullanum scripsisse, ac saeculo nono nullam amplius extitisse dubitationem de Apocalypsi.

Quod ad doctores medii aevi spectat, exploratum est, eos deuterocanonicos libros habuisse veras scripturas sacras, quandoquidem eos in usu ecclesiastico et in catalogis, quos saltem ex Augustino et canonum collectionibus noverant, contentos viderent. Sed quum eis quorumdam Patrum, maxime Hieronymi de differentia canonis hebraici sententia obversaretur, plurimi, ut veritas postulabat, hanc rem composuerunt; aliis autem usque ad solemnem Ecclesiae definitionem de pari deuterocanonicorum librorum cum protocanonicis auctoritate non ita adhuc constare videbatur, ut dubitatio contra fidem esset.

Thesis XLI. Quod de canone tridentino ratione librorum veteris testamenti diximus, idipsum de eodem ratione librorum novi testamenti affirmamus.

Dem. Argumenta, quibus haec thesis demonstratur, sunt eadem cum iis, quae supra adhibuimus. Nunc igitur de iis solis libris disseremus, de quibus aliquando dubitatum esse Veteres referunt. Sunt vero *epistola Jacobi, epistola secunda Petri, epistola Judae, epistola secunda et tertia Johannis, epistola ad Hebraeos, Apocalypsis.*

Hos libros ad sacram scripturam pertinere, inprimis demonstrat usus antiquissimus Ecclesiae. Qui colligitur primo ex vetere editione ecclesiastica tam graeca, quam latina et syriaca. Codices, qui non tantum singulos libros aut sola Evangelia continent, complectuntur vel omnes libros novi testamenti, vel Actus Apostolorum cum omnibus epistolis et Apocalypsi, vel septem epistolas catholicas cum Apocalypsi. Ordo librorum in plerisque ita habet, ut post Actus Apostolorum et ante epistolas Paulinas ponantur septem catholicae, ac in his prima Jacobi. Quem locum, teste Eusebio hist. eccl. l. 2. c. 23., eo ipso tempore, quo a nonnullis in dubitationem cum aliis adducebatur, retinuit. Habet eundem locum in catalogis *Athanasii, synopseos Athanas., Gregorii Nazianzeni, Amphilochii, Cyrilli Hierosolym., Concilii Laodiceni, Epiphanii, Leontii Byzantini, Damasceni, Nicephori.* Ordo hic aliquantulum diversus est in *canone ultimo Apostolico* inter Graecos et in *conciliis africanis, Rufino, Philastrio, Augustino* aliisque inter Latinos, utpote qui primo loco habent duas epistolas Petri, et in *Innocentio I.*, qui eodem loco ponit tres epistolas Johannis.

In multis codicibus, inter quos antiquissimi Vaticanus, Parisiensis Ephremi et Sinaiticus, ex epistolis Paulinis ea, quae est ad Hebraeos, collocatur post secundam ad Thessalonicenses et ante eas, quae sunt ad personas

singulares. Qui idem ordo servatus invenitur in catalogis *Athanasii, synopseos Athanas., Concilii Laodiceni, Damasceni*, item in *versionibus Coptica et Armenica*. In versione autem *Sahidica* (Aegypti superioris) epistola ad Heb. erat post II. Cor. ante epistolam ad Galatas.

In versione syriaca vetere (Peschito), ut nunc in codicibus superest, desiderantur quidem II. Pet., Judae, II. et III. Joh. et Apoc.; at quondam et adhuc saeculo quarto in ea fuisse, demonstratur ex operibus Ephremi, qui lingua syriaca et pro Syris scribens omnibus istis libris non secus, quam caeteris utitur. Versio porro syriaca, de qua agimus, aut secundo aut ineunte saeculo tertio facta est et usque ad saeculum sextum unica fuit. Quare Ecclesia syriaca saeculo secundo omnes absque discrimine novi testamenti libros habuit. Hinc relatio Cosmae Indicopleustis circa annum quinquagesimum trigesimum quintum, apud Syros reperiri tantum tres epistolas catholicas, Jacobi, I. Pet., I. Joh., falsa est, maxime quod versio nova anni quingentesimi octavi omnes prorsus libros contineat. Summum intelligi posset de vetere versione, ut forte erat saeculo sexto.

Latini codices saeculi quarti, quibus usi sunt Augustinus caeterique ejus aetatis Patres, quosque graecae fidei restituit Hieronymus, omnes novi testamenti libros sine ulla distinctione continebant, ut monstrant canones africani, Innocentius I. et nubes citationum Patrum latinorum. Num igitur forte dixeris, saeculo quarto in latinam editionem libros, de quibus quaeritur, intrusos fuisse? Incepta foret haec suspicio, ut patet tum ex rei natura, tum ex eo quod Tertullianus, interpres Irenaei, aliique tertii saeculi scriptores in suis editionibus eos habuerint, tum ex eo, quod Patres saeculi quarti et ipse Hieronymus nihil aliud sciverint, quam eos semper in latina editione fuisse cum caeteris permixtos, et quod ita in scripturas alii libri suscipi non potuissent, quam quos Apostoli tradidissent.

Idem usus colligitur deinde ex statu quaestionis, prout ab Origene saeculo tertio et ab Eusebio saeculo quarto exponitur. Aetate Origenis hoc ille se modo habebat: Iidem, quos nunc libros scripturae profitemur, saeculo tertio inter scripturas ab Apostolis acceptas recensebantur. Nulla erat de Apocalypsi, nulla de epistola ad Hebraeos, quod ejus attinet auctoritatem, dubitatio. Quinque ex catholicis epistolis, comprehensae cum caeteris in scriptura Ecclesiae et communi usu frequentatae, ab aliquibus in dubitationem adducebantur.

Distinctus statum quaestionis, ut suo tempore et antecedente tempore erat, declarat. Declaratio huc redit: Quinque epistolae catholicae, ut in publico Ecclesiarum usu et in una cum caeteris collectione erant, ita a pleris que tamquam sacra scriptura agnoscebantur et approbabantur. Nemo omnino erat, qui negaret definita sententia, ad sacram scripturam eas pertinere, aliqui tamen quandam dubitationem de iis afferebant, quin tamen ideo publico et communi usu recipi desinerent. De epistola ad Hebraeos nulla erat mentione digna controversia. Apocalypsim post aetatem Origenis sacram scripturam esse negari coeptum est, sed huic negationi nulla vis adscripta est fuitque, sin minus unice haereticorum, certe nonnisi paucorum Catholicorum, atque hac ex causa Apocalypsis inter *ὁμολογουμένους* semper computata est.

Qua expositione status quaestionis considerata, evidenter perspicis, omnes prorsus libros, de quibus quaestio est, publico usu inter sacras scripturas relatos esse, et dubitationes, quae de iis existebant, non ad Ecclesiam, sed ad scholam spectasse ac paucorum duntaxat doctorum, qui criticae inquisitioni plus aequo indulgerent, mentem occupasse.

Denique idem usus colligitur ex Patribus Scriptoribusque, qui ante saeculum quartum floruerunt et libros istos ut sacram scripturam aut diserte citant aut manifeste textus eorum designant.

Prae oculis habuerunt epistolam *Jacobi*, quos subjicimus. *Hermas* (Pastor. l. 2. mand. 12. n. 4. 6.); *Clemens Romanus* (epist. 1. ad Cor. n. 10. 12.); *Irenaeus* (adv. haer. l. 4 c. 16); *Clemens Alexandrinus* (apud Euseb. hist. eccl. l. 6. c. 14.); *Origenes* (in Josue hom. 7. n. 1.; et in Genes. hom. 13. n. 2.); *Dionysius Alexandrinus* (de martyrio c. 6.).

Pro epistola *secunda Petri* habes praeter *Clementem Alexandrinum* et *Origenem* (ll. cc.) *Theophilum Antiochenum* (ad Autol. l. 2. c. 13.); *Firmilianum* (epist. ad Cypr. inter Cyprianicas 75.); *Novatianum* (de Trin. c. 8.).

Pro epistola *Judae* testimonium dicunt *Clemens Alexandrinus* (paedag. l. 3. c. 8 et alibi): *fragmentum Muratorianum* (apud Galland. tom. 2. p. 208.); *Tertullianus* (de cult. femin. l. 1. c. 3.); Auctor de lapsis ad Novatianum (n. 6.).

Pro epistolis *secunda et tertia Johannis* testantur *Irenaeus* (adv. haer. l. 1. c. 16.: l. 3. c. 16.); *Clemens Alexandrinus* (Strom. l. 2.); *Dionysius Alexandrinus* (apud Euseb. hist. eccl. l. 7. c. 25.); *Cyprianus* (ad Quirinum l. 2. c. 27.; l. 3. c. 78.).

De epistola ad *Hebraeos* testem se sistit *Origenes* (apud Euseb. hist. eccl. l. 6. c. 25.) affirmans, eam „ab antiquis hominibus traditam esse ut Pauli Epistolam"; tum *Eusebius* ipse (l. 3. c. 3.) scribens, eam in omnibus orientis ecclesiis in confesso esse, apud quas „omnes quatuordecim epistolae Pauli publicae sunt et manifestae"; *Hieronymus* praeterea (epist. 129. ad Dardanum) repetens, eam „non solum ab Ecclesiis orientis, sed ab omnibus retro ecclesiasticis graeci sermonis scriptoribus quasi Pauli Apostoli suscipi". Sane ante Origenem *Clemens Alexandrinus* et ante hunc „beatus senex", qui *Pantaenus* esse dicitur, testati sunt, epistolam esse Pauli (apud Euseb. l. 6. c. 14.). *Irenaeus* item ea usus est (apud Euseb. l. 5. c. 26.), et *Clemens Romanus* ex eadem multas inseruit sententias (Euseb. l. 3. c. 38.: Hieronym. de vir. illust. v. Clemens). Licet vero, ut a Clemente Alexandrino, Origene (Euseb.

l. 6. c. 14. 25.) et Hieronymo (ep. cit.) discimus, nonnulli graecam epistolae dictionem non Pauli esse dicerent, sed vel Lucae vel Clementis vel Barnabae, attamen usque ad Arianos in universo Oriente nemo fuit, qui canonicam ejus auctoritatem in dubitationem vocaret (Epiphan. haer. 69. n. 27.; Theodoret praef. in ep. Heb.).

Apocalypsim denique usque ad saeculum tertium labens Patres scriptoresque Ecclesiae uno ore Johannis Apostoli librum esse ad sacram scripturam pertinentem proclamant. Habes, qui in eam, ut in divinum librum, commentarium scripserunt, *Melitonem*, ut refert Eusebius hist. eccl. l. 4. c. 26., et *Hippolytum*, ut testantur inscriptio in statua vaticana, Hieronymus de vir. illust. ac Jacobus Edessenus in tom. 1. op. Ephrem. syr. p. 292. Qui vero ad eam provocarunt expresso Johannis nomine ut ad divinam scripturam, habes *Justinum* dial. c. Tryph. n. 81; *Theophilum Antiochenum* apud Euseb. l. 4. c. 24.; *Irenaeum* adv. haer. l. 4. c. 20.; l. 5. c. 26. 30.; *Apollonium* presbyterum Ephesinum apud Euseb. l. 5. c. 18; *Ecclesiam Viennensem* epist. ad eccl. Asiae n. 15.: *fragmentum Muratorianum*; *Clementem Alexandrinum* paed. l. 2. n. 12.; *Tertullianum* cont. Marc. l. 4. c. 5.; *Cyprianum* ad Quirinum et alibi saepe. *Origenes*, teste Eusebio l. 6. c. 25., Apocalypsim absque ulla controversiae indicatione inter opera Johannis ponit, de quibus apud omnes constabat. Primus, qui in disputatione cum Millenariis alicujus controversiae mentionem facit, est Eusebio l. 8. c. 25. narrante *Dionysius Alexandrinus*.

Confirmatur apostolica origo traditionis de divina origine horum omnium librorum ex catalogis, quibus propositum erat recensere omnes libros universali Ecclesiae consensu sacris scripturis adnumeratos. Profecto inprimis catalogi Ecclesiae occidentalis universi omnes absque discrimine complectuntur libros, ut ex disputatione superiori liquet. Omnes praeterea eorum ipsorum Patrum orientalium plerique numerant inter *ὁμολογουμένους*, qui necessariam in suis catalogis duxerunt mentionem controversiae

de quibusdam libris veteris testamenti. Caeteri denique Patres, qui propter dubitationem aliquam obortam aliquos istorum librorum ad *ἀντιλεγομένους* referunt, singuli unum aut alterum librorum, de quibus est quaestio, ad *ὁμολογουμένους* adjungunt. *Epistolam ad Hebraeos* omnes, solum si excipis fragmentum Muratorianum[1]), censent *ὁμολογουμένην*. Solam *Apocalypsim* inter libros unanimi consensu receptos non memorant *Nazianzenus, Cyrillus Hierosolymitanus, Concilium Laodicenum, Canon apostolicus ultimus, Nicephorus* Nazianzenum sequutus. *Epistolam secundam Petri, epistolam Judae, epistolas secundam et tertiam Johannis* una cum *Apocalypsi* omittunt editio syriaca prima, forte inde a saeculo quarto vel quinto, *Amphilochius* et *Auctor synopseos* inter op. Chrysost. tom. 6. Denique *Junilius Africanus* in primo librorum ordine duas tantum recenset epistolas, primam Petri et primam Johannis, quibus, inquit, „adjungunt quamplurimi *quinque alias*, quae Apostolorum canonicae nuncupantur, id est Jacobi unam, Petri secundam, Judae unam, Johannis duas". De Apocalypsi scribit: „Apud Orientales admodum dubitatur".

Thesis XLII. Quae autem ex antiquitatis monumentis desumpta aliquam contra veritatem demonstratam difficultatem creare videntur, ea expeditam promptamque habent explicationem.

Dem. Exstiterunt saeculis tertio et quarto aliquot dubitationes de *epistolis catholicis*; verum earum origine examinata manifestum redditur, nihil eas officere firmitati et

[1]) Hoc fragmentum praeter *epistolam ad Hebraeos* omittit etiam *epistolam Jacobi, secundam Petri* et *primam Petri*. Quum vero de hac nulla unquam extiterit dubitatio, exploratae rei instar habendum est, auctoris fragmenti consilium non fuisse, catalogum omnium librorum, quos unanimi consensu in Ecclesia receptos noverat, conficere.

certitudini traditionis. Critici quidam tertii quartique saeculi traditionem non tam ex editionibus ecclesiasticis et ex publico Ecclesiae usu, quam ex citationibus scriptorum praecedentium iisque expressis colligendam esse censuerunt. Qua norma praestituta, si quos libros raro et a paucis citatos reperiebant, eos non quidem inspiratos esse negabant, attamen eorum inspirationem non certam, sed dubiam existimari posse opinabantur, ideoque ad *ἀντιλεγομένους* ablegabant. Illud vero in epistolis catholicis reipsa contingere arbitrabantur. Sic suspectam Jacobi epistolam Eusebius scribit hist. eccl. l. 2. c. 23. Rationem petenti tibi reponit: „Scilicet non multi Veterum ejus meminerunt, sicut neque illius, quae Judae dicitur, et est ipsa quoque ex septem catholicis sic appellatis“.

Verum argumenti negativi tum nominatim nulla est vis, quum objectum sibi habet argumentum affirmativum. Jam vero argumentum negativum, quo isti nituntur, oppositum sibi habet argumentum affirmativum, quod nempe continetur constanti epistolarum catholicarum inter libros sacrae scripturae comprehensione eorumque publico ecclesiastico usu.

Praeterea, ut aliqua insit vis negativo argumento, ex defectu citationum deprompto, probandum ex librorum indole et scriptorum adjunctis foret, hos, siquidem inspiratos illos habuissent, eos allegare debuisse. Haec autem probatio raro admodum cum aliqua verosimilitudinis specie, et quoad aliquos libros ne cum hac quidem confici potuerit.

Accedit, quod si citationibus agendum est, non expressarum tantum ratio ducenda est, sed earum quoque, quae rebus verbisque librorum adhibitis continentur. Si autem harum etiam ratio habetur, falsum est, quod isti dicunt, raro et a paucis epistolas catholicas a vetustioribus scriptoribus citari.

Denique istorum nemo explicat, quomodo, quando et a quibus libri illi intrusi in sacram scripturam ac in constantem et publicum Ecclesiae usum adoptati fuerint.

Nemo istorum est, qui non fateatur, nihil obstante dubitatione apud aliquos oborta, eundem mansisse illorum librorum usum, qui non et ipse iis ut sacris et apostolicis utatur. Quid caeterum dubitationes valent paucissimorum, qui fere Eusebium sequuntur, contra consensum caeterorum omnium?

De *epistola ad Hebraeos* Eusebius hist. eccl. l. 3. c. 3. et l. 6. c. 20. testatur, eam ab omnibus Orientis quidem ecclesiis, non tamen ab omnibus occidentalibus ecclesiis ut Pauli suscipi. Ex ipso Hieronymus in Isai. 8. 18.; de vir. illust. v. Paulus, Cajus; epist. cit. ad Dard., hanc epistolam, ait, „latina consuetudo inter canonicas scripturas non recipit“: item Augustinus in exposit. inchoata epist. ad Rom. n. 11. scribit, quia nomen Pauli non sit praefixum, „nonnulli eam in canonem scripturarum suscipere timuerunt“.

Verum vix non affirmaveris, Eusebium errasse, et qui eum sequuntur, cum ipso errasse. Nam, qui epistolae ad Hebraeos contradicant, nuspiam comparent. Omnes catalogi tam Orientis, quam Occidentis, solo fragmento Muratoriano excepto, epistolam illam *ὁμολογουμένως* scripturis adnumerant. Nec ullus proferri catholicus scriptor potest, qui canonicam ejus auctoritatem in dubitationem adduxerit. Qui igitur asseri potest, non ab omnibus occidentalibus ecclesiis eam ut canonicam recipi? His tamen non obstantibus, fatemur, narrationem Eusebii non omni fundamento destitui. Scilicet saeculo tertio et alicubi adhuc saeculo quarto, Montanistis et Novatianis Ecclesiam infestantibus, occidentales aliqui scriptores caute epistola ad Hebraeos usi sunt, imo libentius ab ejus usu abstinuerunt, quod nempe illi ea abuterentur suumque errorem confirmare maxime verbis, quae leguntur 6. 4. 5., niterentur. Primum, ut narrat Eusebius hist. eccl. l. 6. c. 20., a Cajo presbytero in disputatione cum Proclo Montanista epistola ad Hebraeos cum caeteris Pauli epistolis connumerata non fuit, vel, ut efficacius Eusebii narrationem Hieronymus exprimit, Pauli non esse ille affirmavit.

Deinde alii Catholici eandem vel similem oeconomiam sequuti sunt. Atque ita factum est, ut nonnulli alii auctori quam Paulo epistolam adscriberent, non traditione utique, sed intrinsecis rationibus moti, nonnulli ejus etiam auctoritatem in dubitationem adducerent, qui tamen nec multi nec magnae auctoritatis esse poterant, quum nullius memoria supersit. Quid caeterum de dubitationibus talibus, quales exhibuimus, censendum sit, longiori expositione non indiget.

De *Apocalypsi* refert Eusebius l. 3. c. 25., eam poni posse vel inter receptos consensu communi vel inter spurios, quum eam aliqui repudient, alii vero definitive inter ὁμολογουμένους ponant. Hujus rei rationem se alibi allaturum. Jam vero de hac re tantum agit l. 7. c. 23. 25.: quo in loco adducit narrationem Dionysii Alexandrini de promissionibus lib. 2. Videndum igitur est, quomodo ea habeat. *Nepos*, episcopus quidam Aegyptius, contendens, scripturas numquam sensu tropico intelligendas esse, ex Johannis Apocalypsi doctrinam de regno millenario in libro adversus allegoristas asseruerat. Hac doctrina a multis probata, res eo devenit, ut paucis post Origenis obitum annis schisma oriretur, quod Nepotianum nominant. Ad quod auferendum contra Nepotem Dionysius Alexandrinus libros scripsit de promissionibus. In eorum secundo de Apocalypsi agens eam hominis prophetae ac divinitus inspirati esse affirmat, non autem Johannis Apostoli, quod non ex traditione, sed ex rationibus intrinsecis probare conatur. Hac porro occasione refert, nonnullos ante se librum hunc repudiasse penitus et refutasse et operam in id contulisse, ut monstrarent, eum sine sensu et ratiocinatione esse; hujus libri auctorem, non esse nec Apostolum nec quemquam virorum sanctorum et ecclesiasticorum, sed Cerinthum nomen Johannis operi suo indidisse. Atque haec narratio Eusebio unica ratio fuit de Apocalypi statuendi, eam aut ad ὁμολογουμένους aut ad spurios libros referendam esse. Jam age nonnulli isti, quos commemorat Dionysius, non utique dubitantes de

canonica auctoritate Apocalypseos, sed praefracte eam negantes, non fuerunt catholici. Si enim Catholici fuissent, Origenes, qui Dionysii in schola catechetica antecessor erat, non potuisset eorum opinionem ignorare et debuisset eo in loco, ubi totus est in afferendis dubitationibus, quae de libris scripturae quoquo modo movebantur, rationem ejus ducere. Atqui eo in loco, ut supra ostensum est, Johannis Apocalypsim una cum ejus Evangelio et prima epistola in libris habet, qui unanimi omnium consensu suscipiuntur. Fuerunt itaque illi *Alogi*, qui testante Epiphanio haeresi 51. omnes Johannis libros respuebant et Apocalypsin nominatim Cerintho tribuebant eamque per singula capita velut absurdam refellebant.

Hinc collige, quid sentiendum sit, si post Eusebium saepius narrari legis, apud Orientales Apocalypsim non suscipi, vel etiam aliquot Patres ab ejus citationibus abstinentes vides, vel quosdam catalogos orientales saeculorum quarti et quinti reperis, qui Apocalypsin aut omittunt aut cum *ἀντιλεγομένοις* ponunt. Nulla scilicet his omnibus inest vis.

Speciali adhuc examine opus habet dictum *S. Hieronymi* in epist. ad Dardan.: „Quod si epistolam ad Hebraeos Latinorum consuetudo non recipit inter scripturas canonicas, nec Graecorum quidem Ecclesiae Apocalypsim Johannis eadem libertate suscipiunt; et tamen nos utramque suscipimus, non hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes“. Verum quod *Latinorum consuetudinem* Hieronymus dicit, id ne intelligas de communi et publica, sed de privata paucorum dubitatione. Ad quam intelligentiam ipse nos Hieronymus compellit illo ipso in loco testando, epistolam ad Hebraeos „quotidie ecclesiarum lectione celebrari“. Compellit praeterea certissimum factum, quod nempe saeculis quarto et quinto ineunte usque ad annum quadringentesimum decimum quartum, quo ad Dardanum litteras Hieronymus dedit, ne unus quidem latinus scriptor inveniatur, qui de epistola ad Hebraeos dubitaverit; omnes contra eam ci-

tent ut canonicam scripturam et ut Pauli epistolam. Citat Cardinalis Franzelin *Luciferum Calaritanum*, *Hilarium Pictaviensem*, *Marium Victorinum*, *Ambrosium*, *Pacianum Barcinonensem*, *Faustinum presb. Romanum*, *Philastrium Brixianum*, *Gaudentium Brix.*, *Chromatium Aquilej.*, *Rufinum Aquilej.*, *Augustinum*, *Hieronymum* ipsum; concilia *hipponense et carthaginiense III.*, *Innocentium I.* Atque hinc intelligitur, tantum ut relationem ex Eusebio accipiendum esse, quod de viris illustr. v. Cajus Hieronymus scribit: „Sed et apud Romanos usque hodie quasi Pauli Apostoli non habetur“ [1]). Caeterum et id notandum est, plerosque paucorum Latinorum, quibus dubitatio adscribi potuit, non de canonica epistolae auctoritate, sed de ejus duntaxat scriptore dubitasse. Huc pertinet, quod Hieronymus et Augustinus, qui aliquando mentionem dubitationis de inspiratione epistolae faciunt, aliis in locis, ille de vir. illust. v. Paulus et Cajus, hic de civ. Dei l. 6. c. 22., cumque ipsis alii complures, Philastrius, Primasius, Isidorus solam de scriptore controversiam commemorant.

Quod deinde de Graecorum ecclesiis scribit Apocalypsin Johannis non suscipientibus, intelligi de eo solum potest, quod aliquot orientales Patres post Eusebium ob dubitationem alicubi exortam Apocalypsin non posuerint inter *ὁμολογουμένους*, et partim hac ex causa, partim ex rationibus polemicis a citationibus Apocalypseos abstinuerint, ut Cyrillus Hierosolymitanus et Chrysostomus. Profecto usque ad Origenem nulla in universa Ecclesia controversiae de Apocalypsi apparent indicia. Post Dionysii Alexandrini etiam aetatem nullus in occidentali Ecclesia invenitur, qui de ea dubitaverit. Et in ipsa orientali Ecclesia a Dionysio usque ad Hieronymum multi gravissimique Patres Apocalypsi tamquam divino libro, adjecto

[1]) „Usque nunc, scribit Eusebius hist. eccl. l. 6. c. 20. a quibusdam Romanorum (i. e. ex communi apud Graecos et apud Eusebium l. 2. c. 2. 25. loquendi usu Latinorum) non creditur Apostoli esse“.

plus semel Johannis nomine, utuntur. Citat Cardinalis Franzelin *Methodium*, *Gregorium Nazianzenum* ejusque fratrem *Caesarium*, *Basilium*, *Athanasium*, *Didymum Alexandrinum*, *Marcum Diadochum*, *Macarium*, *Epiphanium*, *Ephraemum*.

Sectio IV.

De authentia editionis vulgatae.

Thesis XLIII. Eodem jure, quo Ecclesia canonem scripturarum definit, declarat etiam authentiam editionis aut versionis earumdem.

Decl. Affirmo universim potestatem seu auctoritatem significat. Hinc si instrumentum aliquod authentiam habere affirmatur, significatur, ipsum auctoritatem ad fidem faciendam idoneam possidere. Porro instrumentum vim, qua ad fidem faciendam praeditum est, omnem desumit ab auctore suo. Si proinde de hujus auctoritate constat, eo ipso de authentia instrumenti constat, eademque argumenta, quae instrumenti ab auctore originem demonstrant, ejus quoque authentiam conficiunt.

Qua notione authentiae praemissa, liquet sacram scripturam non posse non esse authenticam. Quum enim Deum ipsum auctorem habeat, auctoritas, quae ei inest ad fidem faciendam, est absolute summa. Jam vero origo scripturae a Deo cognosci, ut par est, solo divino testimonio potest. Quare hoc quoque tantum testimonio ejusdem authentia cognosci valet. Non immerito igitur statuitur, ad authentiam scripturae testimonium divinum esse necessarium, non quasi hoc primum scripturae authentiam conferret; eam namque in se origine a Deo, quam testimonium divinum supponit, ideoque independenter ab hoc

possidet, sed quia testimonio divino eam rationem obtinet, qua ad insitam vim in mentes exserendam apta redditur. Mens enim non auctoritate *simpliciter*, sed auctoritate *manifestata* movetur. Hinc oritur distinctio inter authentiam *internam* scripturae et authentiam ejusdem *externam*. Illa scripturae convenit sola sua a Deo origine, haec autem testimonio divino de hac origine, estque proinde nihil aliud, quam authentia interna manifestata. Quum autem testimonium divinum de origine scripturae a Deo tantum traditione contineatur, traditione tantum scriptura habet authentiam externam.

Atque haec quidem valent de ipsa originali scriptura; valent vero etiam evidenter de omnibus apographis et versionibus, quae scripturae originali vere conformes sunt. Hinc nomen *authentiae conformitatis* de apographis et versionibus adhibitum, quod licet reprehendere nolimus, attamen ambiguum nobis esse videtur; facile namque intelligi ita potest, quasi authentiam sui nominis significaret, quum tamen eandem designet, quae originali scripturae convenit, diverso dumtaxat modo obtentam. Itaque authentia conformitatis est ipsa authentia scripturae originalis ad apographa et versiones titulo conformitatis cum ipsa accedens. Qui titulus manifeste factum humanum complectitur, quum conformitas apographorum et versionum cum originali scriptura a fide transcribentium et a sinceritate vertentium pendeat. Vix autem notandum est, hoc factum non esse causam ipsius in se authentiae apographorum et versionum, sed causam dumtaxat esse, cur originalis scripturae authentia in apographa et versiones derivetur, ideoque satius *conditionem*, *sine qua non*, quam *causam* authentiae conformitatis dici. Haec quoque authentia distingui potest in authentiam *internam* et in authentiam *externam*. Illa existit ipso facto conformitatis, haec vero manifestatione facti. Quae manifestatio duobus modis per se fieri potest: scilicet vel scientifica et critica inquisitione, vel testimonio vim auctoritatemque habente.

Si primo modo fiat, habetur authentia externa *scientifica et critica, ideoque privata,* si autem altero modo fiat, habetur authentia externa *auctoritativa* et *publica.*

Authentiam externam publicam apud protestantes esse non posse, eorum principia demonstrant. Haec enim excludunt omne testimonium vim publicam auctoritatemque in homines habens praeter testimonium divinum sacris litteris consignatum. Aliter res apud Catholicos se habet. Admittunt namque hi magisterium divinitus institutum, docendi jure, potestate, munere et officio divinitus instructum, cujus proinde pronuntiatum et decisio rationem habet testimonii vim publicam auctoritatemque in homines habentis. Nihil igitur obstat, quominus authentia externa publica, de qua nostra disputatio est, apud Catholicos obtineat. Imo reipsa locum habet, quum magisterii ecclesiastici existat decisio, qua alicujus versionis et editionis authentia conformitatis manifestatur. Legitur haec decisio sess. 4. conc. trid. de canonicis script.: „Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in *veteri vulgata latina editione* habentur, pro sacris et canonicis non susceperit; et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit: a. s. Omnes itaque intelligant, quo ordine et via ipsa synodus post jactum fidei confessionis fundamentum sit progressura et quibus potissimum testimoniis ac praesidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus sit usura".

„Insuper eadem sacrosancta synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit et declarat, ut *haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus, et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat, vel praesumat*".

De hac Ecclesiae decisione jam agendum est, ac inprimis inquirendum, num jure decidendi in hac quaestione Ecclesia divinitus praedita credenda sit.

Dem. Profecto jus, quo ad definiendum scripturarum canonem Ecclesia ornata est, non ad scripturas, quae quondam extiterunt, sed ad scripturas adhuc existentes refertur, seu potius ad scripturas spectat in Ecclesia sive praeterito sive praesenti sive futuro tempore existentes. Jus enim definiendi canonem scripturarum est jus authentice docendi divinam scripturarum originem, seu statuendi de origine librorum, qui sub nomine scripturarum veniunt, ideoque ad omnes libros pertinet, qui quovis tempore nomine scripturarum significantur. Jam vero concipi nequit jus definiendi scripturarum canonem, pertinens ad scripturas adhuc in Ecclesia existentes, seu ad libros, qui quovis tempore nomine scripturarum designantur, quin simul jus sit declarandi authentiam editionis aut versionis scripturarum. Atque hinc est, quod nulla sit Ecclesiae definitio, qua scripturarum canon constituitur, quin simul sit declaratio authentiae editionis aut versionis, non quidem necessario hujus vel illius, attamen alicujus, sive quae jam existat, sive quae ex existentibus confici possit. Res in propatulo est, si tridentinam de canone scripturarum definitionem contemplaris. Libros enim declarat canonicos, qui et prout in vetere vulgata latina editione habentur. Qua declaratione utrumque docemur, nempe libros scripturae divinae originis esse, et libros hos comprehendi vetere vulgata latina editione, seu quod eodem redit, libros vetere vulgata latina editione comprehensos esse conformes libris, quos originalis scriptura continebat.

Aliud habemus argumentum non minus luculentum. Scilicet jus definiendi scripturarum canonem pars quaedam est juris officiique magisterio ecclesiastico impositi, depositum fidei custodiendi. Jam vero ad depositum fidei pertinet, quidquid verbum Dei est, ideoque etiam verbum Dei scriptum. Ergo jus definiendi scripturarum canonem essentialiter continet, quod necessario comprehenditur in

jure et officio magisterii ecclesiastici verbum Dei scriptum custodiendi. Atqui huic officio satisfacere illudque jus exercere magisterium ecclesiasticum plane nequit, si declarare authentice non potest, in qua editione aut versione verbum scriptum Dei contineatur. Quare jus definiendi scripturarum canonem necessario simul jus est declarandi authentiam editionis aut versionis.

Paulo secus eadem veritas hunc in modum effici potest. Jus definiendi scripturarum canonem continetur in jure et munere Ecclesiae fidelibus infallibiliter revelatum Dei verbum proponendi. Definire enim scripturarum canonem est authentice declarare earum inspirationem, ac quae inde fluit, rationem verbi Dei scripti iis convenientem. Atqui authentice declarare et infallibiliter fidelibus proponere inspirationem scripturae cum ipsaque connexam rationem verbi Dei scripti ei convenientem Ecclesia non potest, nisi authentice declarare et infallibiliter fidelibus proponere valeat authentiam alicujus editionis aut versionis.

Sed num authentia alicujus editionis aut versionis aliquid est ad fidem pertinens? Pro diverso sensu, quo intelligi haec quaestio potest, diverso modo respondendum est. Si fidem accipis pro iis, quae in se et formaliter revelata sunt, certum est, illam ad fidem non pertinere, quum nulla detur divina revelatio de conformitate alicujus editionis aut versionis cum scriptura originali. Si vero fidem accipis pro iis, quae vel in se et formaliter revelata sunt, vel cum his intime nexa sunt et ab his inseparabilia, ad fidem quoque pertinet, authentiam alicujus editionis aut versionis, siquidem ab Ecclesia declaretur, ad ea referendam esse, quae sunt infallibiliter vera.

Thesis XLIV. Quo jure usa Ecclesia in sessione quarta concilii tridentini authentiam editionis veteris vulgatae latinae declaravit.

Dem. Declarationem apertam a trid. conc. factam in praecedenti thesi adduximus. Eam, non disciplinarem, sed dogmaticam esse, ipse declarationis tenor manifestat. Eam infallibilem esse, praecedens thesis demonstrat. Novimus autem, Ecclesiam in suis declarationibus et definitionibus non novis revelationibus, sed assistentia dumtaxat Spiritus sancti ab errore praeservantis duci. Hinc declarationibus definitionibusque antecedit exploratio et examen fundamentorum, quibus eae fulciantur ac firmae consistant. Quod ad declarationem praesentem attinet, exploratio praemittenda fieri utique per examen criticum poterat, sed non necessario debebat, quum praesto concilio fundamentum esset, quo nixum declarationem edere integrum ei erat. Quod fundamentum ab ipso concilio significatur esse probatio Ecclesiae, longo saeculorum usu in ipsa Ecclesia comprehensa.

Liceat nobis quaedam, quae huc faciunt, ex historia concilii tridentini a Cardinali Pallavicinio conscripta in medium adducere. Quum Deus, inquit l. 6. c. 17., in negotio fidei voluerit nos habere firmitudinem absolutissimam, „oportuit, ut usa providentia supernaturali quodcumque erroris periculum removerit ab iis, quae huic fidei fundandae necessaria erant, et ab ipsa arceret omnis prudentis dubitationis principium. Et quoniam fidei cardo verbum divinum est, quod non per ipsam linguam Dei, nemine interveniente, in omnium aures immittendum erat, necesse fuit, ut aliquos Deus constitueret legatos, in exercendo munere ipsis imposito falli nescios. Sed quoniam ne hi quidem in aures omnium vocem fundere, aut instrumentum scribere poterant omnium oculis subjiciendum, divina providentia procurare debebat, ne in hujusmodi scripturarum diffusione menda irreperent, quae accurata

collatione solertiaque humana tolli non possent, saltem in iis veritatibus, quas notas Ecclesiae suae ab eaque firmissime creditas volebat. Quo autem id apte curaret, et sententiarum ambiguitatem omnemque aliam dubitationem e medio tolleret, designandus divinitus erat manifestus in terra interpres, qui utique in hoc negotio diligentiam, quam patitur humana conditio, adhibere teneretur, ne Deus ad miraculosas inspirationes velut compelleretur; simul tamen interius ita regeretur, ut in hoc praestando minime erroribus illis obnoxius esset, quibus in aliis negotiis, adhibita quacumque industria, subjaceret. Is autem interpres ipsa est Ecclesia et ejus Caput.

Necessarium pariter fuit, ut, quum mortalium idiomata varient, et remotiorum ab usu, cujusmodi ea sunt, quibus libri sacri conscripti sunt, tenuis supersit notitia, perpetuo quaedam versio maneret in sermone plurimis cognito, purgata cunctis mendis id depravantibus, quod Deus certa firmaque fide a suis cultoribus creditum voluit".

Paucis interjectis, de quibus infra dicendum nobis erit, hunc in modum scribendo prosequitur: „Indicare, quibus vel cui variarum versionum insit vacuitas errorum essentialium et nomen „authenticae" sit donandum, denuo munus est infallibilis interpretis divini verbi divinitus inter homines constituti. Jam vero Ecclesia inprimis longo usu et adhibita tam in docendo quam in praedicando versione vulgata eam tacite comprobare coepit. Deinde vero, quoniam opus erat, ut in sententia de tot rerum capitibus adversus haereticos et cavillatores ferenda, omnis dubitatio de fundamentis futurarum decisionum abstergeretur, ut recte loquitur decretum Tridentinum, de quo nunc agimus, voluit virtute assistentiae Spiritus sancti sibi promissae authenticam et securam declarare aliquam versionem latinam sacrarum litterarum, quum latinum idioma unicum esset cunctis theologiae peritis, ideoque de dogmatibus fidei judicio ferendo ideonis notum. Hoc autem acturum concilium, quum procedendum ei esset humana

opera et diligentia adhibita, existimavit per eam sibi non licere tunc aliam versionum approbare, quam vulgatam, quippe quae caeteris auctoritate praestabat. Et quum eadem a S. Gregorii aetate ad haec usque tempora ab Ecclesia generatim fuisset usurpata et unanimi consensu adhibita a praeclarissimis ejusdem luminibus, Isidoro, Beda, Remigio, Alcuino, Fortunato, Rhabano, Anselmo, Bernardo, Haymone, Richardo, Hugone Victorino, Petro Cluniacensi, Ruperto Abbate aliisque innumeris Doctoribus, ad suprenam Dei providentiam pertinebat, eam immunem ab erroribus in rebus fidei morumque praestare, ut ab iis immunem servaret Ecclesiam, quae ea utebatur. Ac perspexit synodus, ubi hujusmodi non sufficeret ratio, frustra futuram omnem operam, quae de novo collocaretur ad omnem dubitationem tollendam".

Fundamentum igitur declarationis tridentinae est longus usus vulgatae latinae editionis in Ecclesia. Num firmum censeri hoc fundamentum potest? Inprimis contemplare rationem et indolem usus. Est primo usus antiquus et universalis. *Gregorius Magnus* in epistola, quam versus finem sacculi sexti scripsit ac opus Moralium S. Leandro dedicavit, testatur, se in enarrando libro Job modo antiqua modo nova Hieronymi versione uti, „quia sedes Apostolica, cui Deo auctore praesideo, utraque utitur". Et aetate paulo posteriore, circa annum nempe sexcentesimum vigesimum, *Isidorus* de div. off. l. 1. c. 12. scribit: „De hebraeo in latinum eloquium tantummodo Hieronymus presbyter sacras scripturas convertit, cujus editione generaliter omnes ecclesiae usquequaque utuntur, pro eo quod veracior sit in sententiis et clarior in verbis". Et revera ex hac aetate testimonia, quibus doctrina fidei et morum confirmabatur et exponebatur in conciliis etiam oecumenicis, in decretis Pontificum, in litteris et edictis Episcoporum, petebantur ex divinis litteris sub forma versionis vulgatae. Ex iisdem sub eadem forma desumebantur, quae in sacra liturgia ex scriptura deprompta occurrunt; ex iisdem confutabantur haeretici ac instituc-

bantur Christiani; ac ipsis nitebantur doctores omnes et scriptores de rebus fidei et morum agentes. Est proinde usus, de quo agimus, talis, ut supponat, ad rei caput et summam quod spectat, ita vulgatam editionem respondere scripturae originali, ut quae ad fidem et mores pertinentia ipsius testimoniis confirmata sint, divino testimonio ipsoque adeo verbo Dei confirmata sint. Hinc praeterea idem usus tacitae probationis Ecclesiae rationem continet. Usus enim antiquus et universalis Ecclesiae ab hac habetur usus legitimus minimeque cum proprio munere ipsius repugnans. Jam legitimus esse non potest usus alicujus editionis et versionis scripturae, supponens hujus authentiam conformitatis, nisi vera haec suppositio sit, ac hoc nomine tantum componi cum munere proprio Ecclesiae potest, cum munere nempe custodiendi verbum Dei et impediendi, quominus verbum humanum habeatur divinum, et fundamentum humanum tamquam divinum ad aedificationem fidei et morum assumatur. Quare si negatur, usum, quem descripsimus, esse firmum fundamentum, quo niti declaratio Ecclesiae possit, necesse est affirmes, universam Ecclesiam in rebus fidei et morum falsa suppositione laborare et tacite approbare posse, quod palam improbandum et reprobandum erat.

At, dices, non satis apparet, usum hunc necessario suppositionem a nobis exhibitam habere. Quum enim tota revelata doctrina in magisterio testium authenticorum contineatur, hoc scriptura in forma vulgatae uti in quaestionibus fidei et morum poterat, non quod eam conformem scripturae originali duceret, sed quod in ea expressam divinam revelationem videret, seu quod in ea comprehendi perspiceret verbum Dei materialiter, et non formaliter spectatum. Certe etiam nos in quaestionibus nonnullis ad fidem pertinentibus utimur scripturis, praescindendo ab eo, utrum inspiratae eae sint. Verum imprimis manifestum est, usum, quem supra descripsimus, ita implicitam suppositionem de conformitate scripturae in forma vulgatae cum scriptura originali habere, ut avelli ab eo

nequeat. Est enim aperte usus scripturae, non tamquam libri verbum Dei utcumque complectentis, sed tamquam libri vi originis suae verbum Dei formaliter ideoque necessario continentis. Praeterea valde ambiguum est, quod dicitur, totam revelatam doctrinam in magisterio testium authenticorum contineri. Si hoc eo solum sensu intelligunt, quod isti magisterio totum depositum fidei, tum ore communicatum tum scripto divinitus consignatum, ejusque vera intelligentia commissa sint conservanda et propaganda, verissimum est, quod asserunt; sed inde inferri posse, quod inferunt, plane negamus. Si autem idem ita intelligunt, quasi ad totum depositum fidei traditum praedicto magisterio non pertineret verbum scriptum, et hoc non esset medium, praesente considerata providentiae divinae dispositione, ad conservandum et propagandum verbum Dei necessarium, in gravissimo versantur errore.

Thesis XLV. Qua tridentini concilii declaratione certissime docemur, veterem vulgatam editionem possidere authentiae perfectionem in eo sitam, quod omnes ejus textus ad fidem et mores per se pertinentes originale Dei verbum secundum substantiam dogmatis sincere exhibeant.

Dem. Quotquot sunt theologi catholici admittere coguntur, tridentina declaratione ita definitam esse vulgatae editionis authentiam, ut tenendum sit, libros, quos continet, quoad substantiam reique summam identicos esse cum libris scripturae originalis. Nisi enim hujusmodi saltem vulgatae editionis cum originali scriptura conformitas extet, nulla plane ejus esse potest authentia. Quare qui declarationem tridentinam amplectuntur, istam saltem conformitatem existere, necesse est fateantur. Hoc igitur omnes theologi catholici profitentur. Non omnes autem profitentur, ultra hunc infimum authentiae gradum vi de-

clarationis tridentinae altiorem quemdam perfectioremque credendum esse. Sunt namque theologi recentiores, quibus ratum est, declaratione tridentina nihil de singulis quibusque textibus statutum esse, adeo ut de singulorum textuum authentia praemisso examine critico judicandum sit. Quam opinionem aperte falsam esse ducimus. Pro explorato namque habendum est, authentiam a tridentino concilio declaratam ad omnes textus per se dogmaticos pertinere, ideoque a concilio definiri, non quidem nullum textum per se dogmaticum, qui extiterit in scriptura originali, desiderari in editione vulgata, attamen nullum textum per se dogmaticum existere in editione vulgata, qui non extiterit in scriptura originali: et hoc ipsum definiri spectata substantia dogmatis exhibiti, non vero considerato modo, quo dogma exhibetur.

Ante demonstrationem exponenda est notio *textus per se dogmatici*. Nulla quidem inter textus, quos originalis scriptura continet, differentia est, si *formaliter* considerantur: omnes namque rationem verbi Dei scripti habent aequalisque auctoritatis sunt; sed magna differentia est, si *materialiter* spectantur. An non summa differentia est inter hoc, quod legitur Gen. 1. 1: *In principio creavit Deus coelum et terram;* et hoc Gen. 5. 3: *Vixit autem Adam centum triginta annis, et genuit ad imaginem et similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth?* An non diversissimae rationis sunt hae duae veritates: *Deus creator est coeli et terrae,* et: *Adam centum triginta annorum erat, quum gigneret Seth?* Scilicet legi scripturae non possunt, quin appareat, eorum, quae iis continentur, alia Deum principali intentione inspirasse, ut crederentur, alia vero quamvis credenda sint et Deus ea credita velit, quoniam inspirata sunt, non tamen illa intentione inspirasse, sed ideo dumtaxat inspirasse, quia cum illis historicam aliquam vel logicam connexionem haberent. Quamvis non negemus, non semper cum certitudine statui posse, ad quem ordinem determinata quaedam res scripturis comprehensa referenda sit, attamen saepe nulla in eo est dif-

ficultas, quod satis est, ut praedicta differentia in tuto sit. Si autem haec differentia in tuto est, in tuto quoque est distinctio gravissimorum theologorum inter ea, quae sunt *revelata propter se*, et ea, quae sunt *revelata propter aliud*, seu inter *revelata per se* et *revelata per accidens*. Jam vero textus, qui illa exhibent, sunt et dicuntur *textus per se dogmatici*, qui vero haec continent, appellantur *textus per accidens dogmatici*.

Ad demonstrationem accedentes notamus, tridentinum concilium anathema dicere ei, qui „libros integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit", hoc est, non habuerit divinitus inspiratos. Quam declarationem sumimus ex interpretatione concilii vaticani sess. 3. c. 2: „Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet .. propterea, quod Spiritu sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt". Itaque libri integri cum omnibus suis partibus, et quidem ut in veteri vulgata latina editione continentur, credendi sunt inspirati, ideoque omnes partes, quas haec editio complectitur, a primo scriptore, qui unus sub charismate inspirationis scripsit, originem ducunt.

Jam inquirendum est, quid in dicto „libri integri cum omnibus suis partibus" nomine *partium* veniat.

Sunt, qui affirmant, hoc nomine solas partes deutero canonicas libri Esther et Danielis significari, quum de his cum protestantibus disceptaretur. Verum haec opinio prorsus reprobanda est. Primo quidem, quod nulla ratione nititur. Etiamsi enim detur contra protestantium errorem hanc definitionem esse editam, non tamen sequitur, eam nihil esse, quam simplicem hujus erroris negationem. Deinde falsum est, eo tantum sua declaratione concilium spectasse, ut protestantium errorem excluderet, quum et ex historia concilii et ex ipsis definitionis verbis colligatur, mentem concilii fuisse, omnibus fundamentum confessionis fidei ob oculos ponere et fontes aperire, e

quibus sanae fidei et doctrinae morum aquae hauriendae sint. Denique eadem opinio aperte pugnat cum tenore definitionis. Quo enim jure, concilio statuente, *omnes* libros cum *omnibus suis partibus* esse tamquam sacros et canonicos suscipiendos, asseris, id non de omnibus omnium librorum partibus, sed de solis deuterocanonicis partibus Esther et Danielis esse intelligendum?

Verum ex consilio, quo permotum concilium declarationem edidit, non tantum, quid nomine partium non veniat, sed etiam, quid eo denotetur, clare constat. Significatur mens concilii verbis: „Omnes itaque intelligant, quo ordine et via ipsa synodus post jactum fidei confessionis fundamentum sit progressura, et quibus potissimum testimoniis ac praesidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus sit usura". Declaratio inspirationis omnium librorum ac omnium partium eorum, ut in vetere editione vulgata latina continentur, eo refertur, ut fundamentum confessionis fidei jaciatur, et in tuto sit vis testimoniorum, quae ex istis desumantur vel desumi possint ad stabiliendas confirmandasque res fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium. Hinc Pallavicinius l. c. commemorata narratione Suavis, exteros obstupuisse, quo pacto concilium hoc potissimum dogma definiverit quo decernitur ut authentica quaedam versio a suo exemplari discrepans, scribit: „Quid eo stupore vecordius, quam mirari, quod synodus, quum vellet multa fidei dogmata statuere adversus haereses, nixas praecipue in oppugnatione illius sacri voluminis, quo mille annos communiter Ecclesia usa fuerat, tamquam primum aedificii lapidem jaceret ipsam praedicti voluminis comprobationem? Qua ratione deveniri tandem poterat ad explicandum Dei verbum in articulis, de quibus lis erat, nisi prius decisa fuisset controversia, quodnam revera Dei verbum esset? In quocumque judicio nonne prius vocatur ad trutinam, num productae tabulae sint legitimae?" Quo pertinent etiam haec Cardinalis Montani exponentis, de quibus rebus sessione quarta statuendum esse vide-

atur: „Optimum sibi factu videri, ut primo loco recenserentur ac reciperentur libri canonici sacrarum literarum, quo certo constaret, quibus armis in haereticos esset dimicandum, et in qua basi fundanda esset fides Catholicorum, quorum aliqui super ea re misere angebantur, quum cernerent in eodem libro a plurimis S. Spiritus digitum adorari, alios contra digitum impostoris execrari". Hoc autem si declarationi tridentinae propositum erat, nomine omnium partium omnium librorum non possunt non intel ligi omnia testimonia per se exprimentia res fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, seu omnes textus per se dogmatici. Quare declaratione tridentina certissime docemur, non solum, vulgatam latinam editionem originali scripturae generatim et quoad substantiam reique summam esse conformem, sed etiam eidem speciatim et quoad singulos textus per se dogmaticos conformem credendam esse. Quae conformitas, specialis utique rationis et perfectionis, sine hac declaratione absoluta certitudine nobis non constaret. Per se enim non repugnat, in Ecclesia publico usu honestari aliquam versionem vel etiam ab eadem qualicumque modo authenticam declarari, quae textus quosdam paucos per se dogmaticos complecteretur, veros quidem, sed quibus in originali scriptura nullus textus responderet. Ejusmodi siquidem versio originali scripturae simpliciter conformis et nonnisi secundum quid ab ea difformis esset, ac proinde sub illa ratione approbari, sub hac autem tolerari posset.

Clara haec esse videntur, sed non minus clarum esse arbitramur, declarationem tridentinam respicere ad conformitatem textuum per se dogmaticorum editionis latinae vulgatae veteris cum scriptura originali secundum substantiam dogmatis, non autem secundum modum expressionis dogmatis; adeo ut vi declarationis istius nullatenus tenendum sit, eodem modo, quo aliquod dogma in vulgata editione expressum est, idem in originali scriptura expressum esse, multoque adhuc minus modum expres

sionis in vulgata editione praeferendum esse modo expressionis in textu originalis idiomatis. Nihil enim decreti verba continent, quod referri ad modum expressionis sive relate ad scripturam originalem sive ad editiones originalis idiomatis referri possit, ac nihil etiam ex consilio, quod concilium in edendo decreto prosequebatur, inferri potest, quo ad illum concilium spectasse probetur. Hinc Pallavicinius hist. conc. trid. l. 6. c. 17. expendens dictum S. Hieronymi, ut hebraicus codex ad vetus, graecusque ad novum testamentum intelligendum adhibeatur: „Praetereo, inquit, nondum eo tempore ab Hieronymo latinam suam expositionem fuisse digestam, adeoque postmodum in secundo bibliorum prologo eundem haud ita loquutum. Sed certum est, confugiendum Hieronymo fuisse in elaboranda latina versione ad duos istos primaevos codices; nunc vero in eam aetatem devenimus, qua interpretatio, si ab Hieronymo non confecta, certe ab eo restituta, per multa saecula ab Ecclesia recepta est, ac sibi proinde auctoritatem obtinuit a comprobatione divina. Sed ut etiam sancti illi Patres (Hieroymus et Augustinus) idem hodie scriberent, quid inde adversus tridentini definitionem conficeretur? Num forte infitiamur, in editione vulgata multa esse ambigua, obscura multa, quibus lux affundatur a bibliis primorum idiomatum? Nonne illorum ope Catholici interpretes passim utuntur? Non id etiam proxime post concilii decretum egerunt, quin et adhuc perdurante concilio? Quod palam facit, id non opponi sententiae patrum tridentinorum. Aliud est affirmare, versionem aliquam esse authenticam, hoc est, nec data opera corruptam in quacumque parte, quantumvis accidentali et minima, nec umquam ne per inadvertentiam quidem ab originali scriptura quoad substantiam difformem; aliud autem affirmare, eidem inesse omnem claritatem, omnem vim, omnes alludendi concinnitates, quae archetypo propriae sunt. Primum de vulgata Tridenti definitum est; alterum praestari per nullam translationem potest, quum singula idiomata suis propriis

dicendi rationibus et excellant invicem et deficiant; unde in multarum dilucida explicatione rerum alterum alteri respondere non valet.

Hinc Deus, ut et verbo suo vitam perpetuam daret in paginis, et, quod miraculo praestandum fuisset, non impediret mutationem linguarum, quae ut caeterae terrenae res variationi subjacent, non totum id, quod scripturae complectuntur, constituit articulum, qui necessario Ecclesiae innotescere debeat, quum multa ibi supersint loca, alia maxime dubia, alia obscurissima, talia probabiliter per omnium mortalium aetatem permansura. Et ipsi quoque necessarii articuli non certis individuisque vocibus a Deo restringuntur, sed talis conditionis sunt, ut vim pretiumque habeant non tam ex numero, ut ita dicam, quam ex pondere pecuniae, quod numquam variat ex quacumque permutatione, et secundum quod tantum fidelis versio ab eo requiritur, qui transfert; quod Marcus Tullius in vertendis latine duabus orationibus contrariis Demosthenis et Aeschinis a se praestitum gloriatur. Idipsum effecerunt septuaginta interpretes in sacris literis graece reddendis, quod patet, si hae cum hebraicis conferantur, et communiter ab explanatoribus observatur. Quid plura? Ut doceremur, divinum consilium in sua fide sacris oraculis statuenda, aliud non fuisse, quam hoc idem, ipsi divinorum librorum auctores, qui divino dictante Spiritu scripserunt, non semper eadem facta et dicta cum iisdem plane adjunctis iisdemque individuis verbis, quibuscum evenerunt, commemorant, sed quandoque satis habuerunt, cum praecipua rei summa concordare. Quod in causa est, ut viderentur nonnumquam Evangelii scriptores in ejusdem rei gestae narratione inter se dissentire; quod sancti Patres et recentes interpretes saepe annotant". Hinc absoni forent, qui declarationem tridentinam acciperent, quasi ea prohiberemur ab usu textus hebraici et graeci ipsumque ad intelligendum genuinum sensum versionis vulgatae adhibere vetaremur. Quod ea vetamur, hoc unum est, ne textum

per se dogmaticum versionis vulgatae, qui forte deest in textu hebraico et graeco, habeamus non authenticum.

Clarum quoque esse censemus, concilium tridentinum sua declaratione reliquas versiones latinas praeter veterem vulgatam latinam reprobare aut docere non authenticas. Aliud namque est declarare, quaenam ex omnibus latinis versionibus, quae circumferuntur, pro authentica habenda sit, et aliud caeteras praeter hanc reprobare. Ac aliud est, non affirmare authenticam aliquam editionem, et aliud, eandem affirmare non authenticam. Insignis tamen temeritatis reum se faceret, qui quamcumque ex aliis versionibus ex toto vulgatae veteri anteponeret. Quum enim apertis verbis concilium declaret, vulgatam veterem a se reliquis anteponi ipsamque unam a se tamquam authenticam suscipi, aut optima omnium tum temporis existentium ista fuit, vel concilium eam eligendo imprudenter egit, quod asserere impietatem continet.

Quum in dictis principia contineantur ad solutionem omnium difficultatum, duas solas paucis expediendas commemoramus. Prima ita habet: Certe auctor versionis vulgatae obnoxius errori erat ideoque poterat in textibus etiam per se dogmaticis errare. Fundamentum autem declarationis tridentinae est, quod non erraverit. Sed falsam esse hanc minorem, quae de fundamento tridentinae declarationis constituimus, luculenter demonstrant. Ex declaratione scilicet tridentina, cujus fundamentum erat diuturnus publicus usus veteris latinae vulgatae editionis, colligendum est, hujus auctorem, quamvis potuerit errare, attamen reipsa non errasse.

Alia difficultas est haec: Constat, quum Romae notitia de decreto concilii vulgatam versionem spectante pervulgaretur, contra illud objectum esse, vulgatae menda nec amanuensibus nec typographis adscribi posse, ac certe debuisse in decreto denuntiari, eam esse recognoscendam et emendandam; tantumque ea de re obmurmuratum esse, ut deliberatum fuerit de impressione illius decreti tantisper retardanda, dum nonnullis adjectis reconcinnaretur. Sed

quid inde, quum his non obstantibus decretum tamen reipsa editum fuerit? Habes autem praeterea epistolam privatam Cervini ad Maffeium, qui erat a secretis Pontificis, et epistolam legatorum ad Cardinalem Farnesium, quibus ad ista respondetur. In qua postrema scribitur, nihil a Romanis opponi, quod non fuisset a concilio mature expensum, quum ibi adessent theologi ex omnibus nationibus selecti, qui res exquisito examine ponderabant. Tridenti quoque animadversa fuisse vulgatae menda attamen haec in textibus esse, qui non pertineant per se ad fidem et mores. Noluisse propter illa universe mendosam vulgatam pronuntiare patres, arbitratos honorificentius et utilius esse, si reipsa remedium adhiberetur, exemplo ad exequendum decretum mendis purgato in lucem edito et a Pontifice ac synodo comprobato. Hujus rei rationes esse: Primo, quia aliud est exemplarium depravatio, aliud codicis in se ipso, hanc ad speciem, illam ad singula peculiaria pertinere ac variam et inaequalem in variis exemplaribus esse. Secundo, quia, utcumque se res haberet, neque necessarium neque opportunum erat, conceptis verbis a concilio affirmari, in omnibus exemplaribus et universa specie versionis vulgatae menda esse, quamvis accidentalia tantum et minima, ne ansa cavillationibus haereticorum porrigeretur, contra quos parum juvisset monitum, menda nequaquam in textibus per se ad fidem pertinentibus reperiri. Postremo ajebant, quum satis animadversum esset illius decreti pondus, ne unam quidem syllabam in eo fuisse praeteritam, quae examine tam diligente discussa non fuerit, ut compluribus nimis id religiosum videretur. Rei igitur exploratae instar ab omnibus habebatur, nullum errorem in textibus per se dogmaticis vulgatae editionis reperiri, atque hanc veritatem decreto tridentino pronuntiari.

Thesis XLVI. Eadem declaratione autem minime docemur, veterem vulgatam editionem in omnibus plane textibus originali scripturae in supremo gradu conformem esse.

Dem. Hanc sententiam declaratione tridentina statui, vetustiorum nonnullorum theologorum opinio est. „Quod vulgata translatio, inquit Pallavicinus l. c., exemplari primaevo per omnes leviores minutasque particulas conformetur nec ab illo declinaverit vel in certa arbore, vel in certo animali, pro aliis alia exponendo, pia est aliquorum sententia". Addit autem continuo, ab Ecclesia minime damnari, qui hanc sententiam respuat. „Etenim decretum minus arcte intellectum est ab auctoribus compluribus, qui synodo interfuere, vel cum iis, qui interfuere, sunt colloquuti. Satis nobis sit aliquot adducere; ac primo quidem doctissimum Andream Vegam, qui aderat ea tempestate in concilio, quique, tametsi inter theologos consiliarios, non vero inter patres suffragium ferentes recenseretur, fuit tamen magna cum opinione sapientiae auditus. Suum ipse judicium protulit per eam plane sententiam, quae a nobis explicata est et ab ipso Suavi refertur, idemque postea in suis libris testatur Patres, id voluisse, et hoc ipsum sibi fuisse a Cervino legato significatum, quod eo adhuc vivente Vega typis vulgavit. Huic accedunt Melchior Canus, Canariensis antistes, qui paucis post annis adfuit concilio sub Julio Pontifice, et Didacus Payva ab Andrada, qui sub Pio ibidem adfuit; et utrique licuit sciscitari a compluribus, quaenam fuisset Patrum mens decretum illud conficientium. Nec minus eruditissimus Gibertus Genebrardus, qui per eadem vixit tempora et proculdubio sermonem habuit cum auctoribus decreti. Ac de hoc post multos sapienter disputarunt Nicolaus Serrarius et Jacobus Bonfrerius, quorum prior multos alios adducit et oppositis testimoniis respondet. Eandem quoque prae se tulit opinionem scriptor alius religiosissimus, qui per ea tempora vixit consuetudinemque ha-

buit cum iis, qui concilio intervenere, Sixtus inquam Senensis in admirabili opere, cui nomen fecit „bibliotheca sancta“; ubi cuique licebit pernoscere, quidquid attinet ad accusationem defensionemque decreti vulgatam comprobantis per summam opulentiam ac soliditatem eruditionis ab eo agitatum. Hi profecto, quantum video, haud intendunt, licere ab ea legitima versione recedere in rebus, tametsi nec ad fidem nec ad mores spectantibus, effraenate et pro libidine in quolibet verbo et argumento, sed solum in iis locis, in quibus catholici doctores haud omnino concordant, nec ab Ecclesia est interdictum. Nec leve huic sententiae monumentum accedit ex epistola legatorum ad Farnesium Cardinalem, ubi indicatur, hanc fuisse decreti conciliique sententiam“.

Et certe sententia ista de summa conformitate vulgatae cum scriptura originali fundari eo non potest, quod illa credenda sit authentica. Novimus namque, authentiam versionis non in indivisibili consistere, sed diversos habere gradus, ideoque aliquam versionem posse esse et affirmari authenticam, quin ad summae in omnibus cum archetypo conformitatis gradum pertingat. „Fac, inquit l. c. Pallavicinius, historia vel quaevis alia latina scriptio magni momenti italico sermone mediocriter reddatur; si ea italica versio fidelis sit, authentica dici poterit, adeoque idonea iis litibus dijudicandis, quae a rebus praecipuis et momentosis in ea contentis dependent; sed non idcirco elaborari non poterit alia pariter italica versio magis vivida, magis propria, magis dilucida, vel in totum vel ex parte, quae multa auctoris acumina explicet atque allusiones, in alia versione minime declaratas“. Num negaveris authenticam fuisse versionem latinam antehieronymianam? Atqui, nihil obstante eius authenthia, publico Ecclesiae usu declarata, non pauca tamen minus recte in ea posita Patres scriptoresque veteres adnotarunt, et tempore labente in ejus locum successit versio, quam concilium tridentinum approbavit, quaeque in multis minutioribus rebus non solum dictione, sed etiam sensu ab illa differt.

Nec ex verbis, quibus declaratio concilii tridentini concepta est, firmari ista sententia potest. Tota namque, quam habent, significandi vis salva consistit, rejecta licet arctiore et absolutissima vulgatae cum scriptura primitiva conformitate, quam propugnandam sibi esse nonnulli theologi opinantur.

Imo ratione ducta consilii, quo se in edenda declaratione concilium motum asserit, plane exclusa ejusmodi interpretatio decreti tridentini censenda est. Eo scilicet illam spectare concilium significat, ut omnibus sinceritas fontium liqueat, e quibus testimonia desumpturum sit ad confirmanda dogmata fidei et stabiliendam salutarem morum doctrinam. Hoc autem si erat consilium patrum tridentinorum definitionem edentium, haec utique pertinet ad omnes et singulos textus per se dogmaticos vulgatae, considerata utique substantia dogmatis enuntiati, non autem ratione enuntiandi, minime vero ad omnes et singulos textus indolem dogmaticorum nonnisi per accidens habentes. Ratio enim, sub qua concilium vulgatam vulgataeque textus spectabat, a proposito pendet, quod definitione perficere in animum induxerat.

Novum argumentum contra arctam illam et restrictam interpretationem decreti tridentini suppeditat consideratio editionis, quae eo authentica declarata fuit. Erat nimirum non futura aliqua editio, sed editio tunc temporis existens, eadem nempe, quam concilium ipsum tamquam authenticam usurpavit. Jam vero, ut supra monstravimus, tam Tridenti quam Romae persuasum omnibus erat, non pauca menda in illa editione contineri, non utique in rebus fidei et morum, attamen in minutioribus quibusdam rebus. Nisi igitur asserere velis, tridentinos patres declarasse editionem vulgatam sine mendis esse, quamvis probe scirent, menda in ea contineri, fatearis necesse est, sensum declarationis tridentinae non eum esse, ut editio vulgata credenda sit supremo gradu conformis scripturae originali etiam in minutissimis quibusdam rebus, nihil ad fidem et mores attinentibus.

Putandum etiam non est, declarationi tridentinae hunc sensum adscribendum esse post emendationem vulgatae summorum Pontificum mandato institutam. Nam declaratio tridentina non respicit ad vulgatam emendatam, seu satius non alio modo ad hanc, quam ad nondum emendatam, sed prorsus eodem modo refertur.

Et quamvis patres tridentini optarent, ut menda editionis ab ipsis probatae tollerentur, attamen nec decretum suum ab hac emendatione dependens esse voluerunt, nec normam, secundum quam suscipienda ea sit, assignarunt, nec quidquam de emendatione ipsa statuerunt aut statuere potuerunt.

Ut autem perspicias, quid de ipsa emendata editione sentiendum sit, haec expendas, quae in praefatione eidem praefixa leguntur: „Accipe, christiane lector, eodem Clemente summo Pontifice annuente, ex vaticana typographia veterem ac vulgatam sacrae scripturae editionem, quanta fieri potuit diligentia castigatam, quam quidem sicut omnibus numeris absolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile est, ita caeteris omnibus, quae ad hanc usque diem prodierunt, emendatiorem purioremque esse, minime dubitandum. Et vero quamvis in hac bibliorum recognitione in codicibus manuscriptis, hebraeis graecisque fontibus et ipsis veterum Patrum commentariis conferendis non mediocre studium adhibitum fuerit, in hac tamen pervulgata lectione sicut nonnulla consulto mutata, ita etiam *alia, quae mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt*; tum quod ita faciendum esse ad offensionem populorum vitandam sanctus Hieronymus non semel admonuit; tum quod facile fieri posse credendum est, ut majores nostri, qui ex hebraeis et graecis latina fecerunt, copiam meliorum et emendatiorum librorum habuerint, quam ii, qui post illorum aetatem ad nos pervenerunt, qui fortasse tam longo tempore identidem describendo minus puri atque integri evaserunt; tum denique, quia sacrae congregationi amplissimorum Cardinalium aliisque eruditissimis viris ad hoc opus a sede

Apostolica delectis propositum non fuit, novam aliquam editionem cudere, vel antiquum interpretem ulla ex parte corrigere vel emendare, sed ipsam veterem ac vulgatam editionem latinam, a mendis veterum librariorum nec non pravarum emendationum erroribus repurgatam, suae pristinae integritati ac puritati, quoad ejus fieri potuit, restituere, eaque restituta, ut quam emendatissime imprimeretur juxta concilii oecumenici decretum, pro viribus operam dare". Quibuscum componi plane nequit sententia, contra quam praesens nostra disputatio est. Componi pariter non possunt haec ejusdem praefationis: „Sicut Apostolica sedes industriam eorum non damnat, qui concordantias locorum, varias lectiones, praefationes sancti Hieronymi et alia id genus in aliis editionibus inseruerunt, ita quoque non prohibet, quin alio genere characteris in hac ipsa vaticana editione ejusmodi adjumenta, pro studiosorum commoditate atque utilitate in posterum adjiciantur; ita tamen, ut lectiones variae ad marginem ipsius textus minime annotentur".

Aliud adhuc in eadem praefatione occurrit, quod novo argumento materiam praebet. Legimus enim, libros, qui in vetere vulgata editione contineantur, partim ex sancti Hieronymi translatione vel emendatione susceptos esse, partim retentos ex antiquissima quadam editione latina, quam sanctus Hieronymus communem et vulgatam, sanctus Augustinus Italam, sanctus Gregorius veterem translationem appellet. Scilicet vulgata nostra, quod ad libros veteris testamenti attinet, continet eos ex versione sancti Hieronymi ex hebraico textu facta, exceptis libris Baruch, Sapientiae, Ecclesiastici et Machabaeorum, qui retenti sunt ex versione antiquissima latina, et libro psalmorum, qui, quamvis ab Hieronymo latinus ex hebraico factus sit, attamen ad offensionem populi vitandam retentus est, ut erat in antiquissima latina versione, solum quod moderate ab Hieronymo emendatus sit. Jam vero libri, qui ex Hieronymi versione sunt in nostra vulgata, non parum differunt a libris iisdem, ut erant in antiquissima latina;

item liber psalmorum, qui est in nostra vulgata, non parum diversus est ab eodem, prout ex hebraico idiomate in latinum Hieronymus eum transtulit. Haec si ita se habent, ii, quorum opinionem impugnamus, asserere coguntur, translationem. Hieronymi summo conformitatis gradu scripturae vel certe textui originali respondisse, excepto libro psalmorum, et antiquissimam latinam versionem summe conformem illi textui fuisse in libro psalmorum ac ceteris libris, qui ex ea retenti sunt, quosque Hieronymus ne attigit quidem; ac septuaginta interpretes solum psalterium accuratissime vertisse, in reliquis autem ab accuratione defecisse. Vix autem putaverim, has assertiones ab ullo probatum iri.

Caput IV.

De relatione inter Traditionem et Scripturam.

Thesis XLVII. Scriptura ad traditionem refertur ut ad authenticum et infallibilem sui interpretem.

Dem. Pertinet huc decretum concilii tridentini sess. 4: „Ad coërcenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, sacram scripturam ad suos sensus detorquens contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes nullo umquam tempore in lucem edendae forent". Vetat concilium, ne quis audeat sacram scripturam contra eum sensum interpretari, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia. Quare non licet ullum scripturae textum ita enarrare, ut cum ulla Ecclesiae doctrina repugnet; esset enim id scripturae sensum subjicere, quem Ecclesia tenere non potest, sed imo damnare cogitur. Praeterea non licet scripturam ita interpretari, ut sensus oriatur contradictorius doctrinae, quam scriptura enuntiatam tenuit et tenet Ecclesia. Denique non licet scripturam alio sensu interpretari, quam is est, quem tenuit et tenet Ecclesia. Qui enim sensu ab hoc diverso scripturam explicat, is implicite hunc ei inesse negat, ideoque

scripturam contra sensum explicat, quem tenuit et tenet Ecclesia. Et certe interdicto Ecclesiae hunc quoque sensum subesse, manifeste monstrant verba: „Cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sanctarum scripturarum“; et declaratio concilii vaticani sess. 3. c. 2: „Quoniam vero, quae sancta tridentina synodus de interpretatione divinae scripturae ad coërcenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, nos idem decretum renovantes hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione scripturarum sanctarum, atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam scripturam sacram interpretari“. Jam ulteriori expositione non indiget, his contineri, quod thesi affirmamus, scripturam ad traditionem non secus referri, quam ad authenticum sui et infallibilem interpretem.

Profecto scripturae eo ex sese pertinent, ut utiles sint ad fidem, ad instruendum in omni bono opere, ad erudiendum in justitiam, ad salutem. Voluit porro Christus, ut fideles per pastores et doctores authenticos aedificarentur, instituerentur et in unitate fidei continerentur. Quare non velle non poterat, ut authentica scripturarum interpretatio a pastoribus doctoribusque authenticis peteretur.

Quae de principio formali fidei objectivae disserentes statuimus, manifestam reddunt hanc propositionem: Tota doctrina revelata totumque depositum fidei, Christo instituente, per doctores authenticos, ab assistente Spiritu sancto protectos ab omni errore errorisque periculo, conservatur, propagatur et explicatur, ita ut ab iis verbum Dei adeoque verbi Dei intelligentia exspectari et sumi debeat. Atqui ad doctrinam revelatam, ad verbum Dei et ad depositum fidei certe maxime scripturae pertinent.

Ergo scripturae scripturarumque intelligentia sub assistentia Spiritus sancti per doctores authenticos conservatur, propagatur et explicatur. Hoc vero idem est, quam scripturam ad traditionem referri ut ad authenticum sui et infallibilem interpretem.

Si spiritus sanctus auctor est scripturae sacrae, ipse quoque solus ejusdem est authenticus interpres. Principium hoc discimus a S. Petro in sua secunda epistola 1. 20, 21: *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturae propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.* Jam vero Spiritum sanctum docentem et inducentem in omnem veritatem non habemus, nisi in magisterio authentico, quod Christus instituit organum Spiritus sancti ad conservandam explicandamque universim doctrinam revelatam. Ergo a solo magisterio a Christo ordinato exspectari authentica et infallibilis scripturae interpretatio potest. Atque hanc Majorum quoque esse persuasionem ex iis colligitur, quae de principio formali fidei objectivae disputantes protulimus (Cf. libros recognit. Pseudo-Clem. p. 13; Irenaeum adv. haer. c. 33. p. 25; Tert. praes. c. 19. p. 28. aliosque). Addimus *Originem* de princ. l. 4. n. 9: „His, qui credunt, sacros libros non hominum esse scripta, sed ex inspiratione Spiritus sancti voluntate Patris universorum per Jesum Christum eos scriptos esse et ad nos pervenisse, ostendemus vias, quae videantur, intelligentiae, ut inhaereant regulae coelestis Ecclesiae Jesu Christi secundum successionem apostolicam". Imo protestantes non pauci vim, quae inest huic argumento, agnoscere coguntur. Ut unum adducamus, *Krug* (Philosophisches Gutachten in Sachen des Rationalismus und Supernaturalismus) haec inter alia scribit: „Quaevis scriptura, quae per se clara non est, sed declaratione alicujus interpretis opus habet, sub hoc respectu est sub interprete ac in periculo est, ut verus ipsius sensus pervertatur aut ignoretur. Si jam, qui loquuntur vel scribunt, homines sunt, non multum

curandum est istud periculum. Si autem ponitur, Deum ipsum loquutum esse, ac de verbo agi divino, quod ad salutem hominem instruat, quis hujus verbi interpretis sibi partes sumpserit? Nonne timendum est, ne falso divinum verbum enarret ac hominem a salute abducat? Nonne hic saltem, si declaratio necessaria est, authentica interpretatio prorsus necessaria est? Profecto verissime hac in re sentit Ecclesia catholica".

Quid vero, rejecta hac veritate, sit consequens, longiori expositione non eget. Scilicet redditur impossibilis unitas fidei, ipsaque fides continuis mutationibus subjicitur. Habes, qui hoc fateantur, plurimos protestantes. Aliis missis, *Lessing* (Beiträge zur Geschichte der Literatur B. 6. S. 58.) ita disserit: „Num negari potest paucis dumtaxat etiam novi testamenti locis in omnibus lectoribus easdem excitari ideas? Jam dicatur mihi, quaenam eae sint, quae solae revera excitandae erant? Quis id definiet, imo cui potentia inest id decernendi?" Hinc *Langsdorf* (Blössen der protest. Theologie S. 623.) nihil mirum esse statuit, „in theologia protestantica occurrere dogmata adeo discrepantia, seu, quod idem sit, tam multas theologias protestanticas haberi: Eam solam quaestionem solvendam esse, quis omnium maxime a vero deficiat". Et quod tristissimum est, nullum praesto prostetantibus est medium dissidia componendi. „Sententiae aliorum, inquit *Fischer* (Einleitung in die Dogmatik der evang. prot. Kirche), cum rationibus, quibus nituntur, audiendae, et, si persuaderi nobis de iis potest, admittendae sunt; si secus accidit, quisque suam opinionem sequatur. Nulla siquidem datur mutua correctio subjectivarum opinionum. Veritatem proderet, qui, propria opinione non refutata et contraria sententia non perspecta, a sua persuasione recederet. Unusquisque teneat et sequatur persuasionem suam, sitque de ejus veritate certus". Verum et ipsa fides mutationibus obnoxia redditur. „Ipsum constitutionum protestantismi principium, scribit *Plank* (Ueber den gegenwärtigen Zustand und die Bedürfnisse unserer prot. Kirche), ut illud a nostris refor-

matoribus intelligebatur, secum fert non possibilitatem tantum, sed quandam necessitatem continui progressus, ideoque etiam continuae mutationis theologiae".

Verum de his jam alibi disseruimus; unum adhuc speciali notatione dignum est, scilicet in scripturis multiplicem offendi difficultatem tam verbalem, quam realem, ideoque ad ejus sensum capiendum opus esse interprete authentico et infallibili. In mentem revocetur testimonium II. Pet. 3. 16., ubi Apostolus de Pauli epistolis agens scribit: *In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et caeteras scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Hujus quoque veritatis multi sunt testes protestantes; duos tantum nominamus. *Heilmann* (Compendium der dogmatischen Theologie): „Nemo sanae mentis negat, scripturas non solum remotiores, sed etiam essentiales veritates religiosas praecipua quadam obscuritate involutas continere".[1]) Et *Krug* (Was sollen die protestantischen Katholiken in Deutschland jetzt thun?): „De nullo dogmate systematis superrationalistico-dogmatici cum rigore seu evidenter demonstrari valet, in scriptura ipsum contineri. Semper disputare licet, sive de lectione ex plurimis eligenda, sive de interpretatione ex magno numero interpretationum, quae datae jam sunt et in dies novae dantur".

---

[1]) Fatetur hoc idem *Döderlein*, instit. theol. christ. p. 1. pag. 156. „Minime negamus, interpretationem utriusque testamenti *multis et gravibus premi difficultatibus,* ac plurima *δυσνόητα* et obscura repperiri". Quibuscum compone, si vales, quae sequenti pagina idem scribit: „*Contra hos* (Catholicos) *satis est adstruere, in fidei morumque ratione cognoscenda, sensum verum et legitimum vel offerre sese sponte lectori cuique vel facili opera indagari atque erui*".

Thesis XLVIII. Ex qua scripturae ad traditionem relatione evidens est, scripturam non esse fontem fidei independenter a magisterio authentico, ideoque, quidquid sit de ejus plenitudine et sufficientia objectiva, ei non convenire sufficientiam relativam ad credentes; eandem praeterea ne fontem quidem scientiae theologicae esse independenter ab ecclesiastico magisterio.

Dem. part. I. Paucis hanc veritatem confirmabimus, quum, quae huc faciunt, alibi a nobis exposita sint. Profecto voluntas Christi est, ut per magisterium ab ipso institutum sub assistentia Spiritus sancti usque ad consummationem saeculi fides generi humano inseratur in eoque conservetur ac propagetur. Atqui haec voluntas sibi non constaret, si aliquid existeret, cui ratio fontis fidei independenter a magisterio authentico divinitus instituto conveniret. Ergo scripturae independenter a magisterio authentico ratio fontis fidei adscribi nequit.

Praeterea scripturae certe sunt aliquod medium continens depositum fidei, adeoque, quum non humanitus, sed divinitus confectae sint, aliquid ad ipsum depositum fidei pertinens. Jam vero totum depositum fidei, Christo instituente, magisterio authentico proponendum et exponendum traditum est. Ergo scripturae quoque proponendae et exponendae ei traditae sunt. Ita vero si res habet, repugnat scripturas esse fontem fidei independenter a magisterio authentico.

Accedit, quod nihil fons fidei esse potest independenter ab eo, sine quo per ipsum nec unitati nec constantiae fidei consultum esset. Atqui per scripturam sine magisterio authentico nec unitati nec constantiae et immutabilitati fidei consultum foret.

Denique, caeteris missis, scripturam ad traditionem tamquam ad authenticum et infallibilem sui interpretem referri, idem est, quam eam dicere essentialem relationem ad magisterium authenticum, atque hujus intelligentiam,

imo universam doctrinam esse normam, secundum quam intelligenda et enarranda sit. Quare idem quoque est, scripturam ad traditionem tamquam ad authenticam et infallibilem interpretem referri, quam eam non esse fontem fidei independenter a magisterio authentico.

Atque haec semper fuit Majorum nostrorum stabilis persuasio. Eam persaepe *Irenaeus* exprimit, ut puta l. 3. c. 26: „*Eis, qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his, qui successionem habent ab Apostolis*, sicut ostendimus, *qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt . . . Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea, quae est ab Apostolis, Ecclesiae successio*, et id, quod est sanum et irreprobabile conversationis, et inadulteratum et incorruptibile sermonis constat. Hi enim et eam, quae est in unum Deum, qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt . . . et *scripturas nobis sine periculo exponunt*". Ac c. 32. de discipulo vero *πνευματικῷ* scribit: „Omnis sermo ei constabit, *si et scripturas diligenter legerit apud eos, qui in Ecclesia sunt presbyteri, apud quos est apostolica doctrina*". Et c. 33. gnosim veram definit esse „Apostolorum doctrinam, *καὶ τὸ ἀρχαῖον τῆς ἐκκλησίας σύστημα κατὰ παντὸς τοῦ κόσμου*, et characterem corporis Christi secundum successiones Episcoporum, quibus illi eam, quae in unoquoque loco est. Ecclesiam tradiderunt; *quae pervenit usque ad nos custoditione sine fictione scripturarum tractatio plenissima, neque additamentum neque ablationem recipiens, et lectio sine falsatione, et secundum scripturas expositio legitima et diligens, et sine periculo et sine blasphemia*".

Nota quoque sunt haec *Tertulliani* de praescript. c. 19: „Ergo non ad scripturas provocandum est, nec in his constituendum est certamen, in quibus aut nulla aut incerta victoria est, aut parum certa. Nam etsi non ita evaderet collatio scripturarum, ut utramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est, quibus competat fides ipsa, cujus

sint scripturae, a quo et per quos et quando et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani. *Ubi enim apparuerit esse veritatem disciplinae et fidei christianae, illic erit veritas scripturarum et expositionum et omnium traditionum christianarum*".

Dem. part. II. Plenitudo objectiva de scriptura ratione ejus, quod continet, praedicatur; eique eo nomine tribuitur, quod totam in se comprehendat fidei doctrinam. Aliquo sensu, minus tamen proprio, scriptura objective plena affirmari potest, quia nempe clare principium formale fidei objectivae continet mentique traditionem proponit divinitus institutam ad totum depositum conservandum et propagandum. Qui sensus obversabatur *Augustino*, quum contra Cresconium l. 1. c. 33. scriberet: Quamvis hujus rei (baptismi ab haeretico licet collati, attamen validi) certe de scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, quum hoc facimus, quod universae jam placuit Ecclesiae, quam ipsarum scripturarum commendat auctoritas". Sine cunctatione scripturae eodem hoc sensu adscribimus plenitudinem seu satius *sufficientiam relativam* ad credentes; nihil enim aliud hoc sibi vult, quam scripturam ita clare continere principium formale fidei objectivae, ut a quovis scripturam legente eamque authenticum librum habente cognosci possit, imo necesse sit.

Alio sensu scriptura objective plena asseri potest, quod nempe tota simpliciter revelatio literis consignata in ea contineatur. Hunc sensum, quotquot Catholici sumus, respuimus.

Protestantes vi principiorum, quibus protestantismus nititur, propugnare eum coguntur, non tamen, quin eo ipso in varias secum ipsis contradictiones incidant.

Superest tertius sensus, quo dici objective plena scriptura potest, quia nempe, quidquid a fidelibus explicita fide credendum est, explicite scripturae habent. Hoc sensu scripturae objectivam plenitudinem et sufficientiam convenire, concedunt theologi, et concedere videntur Patres, quum symbolum apostolicum scripturae compendium

esse scribunt. Sed non ideo sufficientiam relativam ad credentes in scripturis inesse statui potest. Consequitur id ex demonstratione primae partis. Nec putes obstare, quod Patres symbolum apostolicum nominent compendium scripturarum. Non enim hoc nomine illud designant, quod a credentibus ex scripturis sit collectum aut colligendum, sed quod ab authentico magisterio ipsis traditum in pauca contractam exhibeat doctrinam scripturae de iis, quae explicita fide ab omnibus credenda sint, secundum intelligentiam et interpretationem ipsius authentici magisterii. Atque hinc Patres audies affirmantes, symbolum apostolicum, quod regulam normamque credendi appellant, esse etiam normam enarrandi scripturam. Qua affirmatione testes sunt doctrinae a nobis constitutae, nimirum scripturam non esse fontem fidei independenter a magisterio authentico, easque minime possidere sufficientiam relativam ad credentes. Confirmatio hujus veritatis ex consilio petitur, quo scripturas exaratas esse, ex propria ipsarum ratione perspicitur. Nimirum consilium, quo scripturae confectae sunt, manifestissime non fuit, ut ex eis singuli conquirant, quod credant (Cf. p. 46.), sed ut in Ecclesia adjumentum essent et instrumentum doctrinae. Addi adhuc argumentum potest ex eo depromptum, quod vix ullus sit symboli articulus, qui ab haereticis impugnatus non fuerit. Non aliunde enim hi arma, quibus veritatem impeterent, desumpserunt, quam ex divinis litteris. Hinc illud *Tertulliani* de praescript. c. 38: „Nec periclitor dicere, ipsas quoque scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, ut haereticis materias subministrarent, quum legam, oportere haereses esse, quae sine scripturis esse non possunt“. Jam vero si, quamvis per errorem, attamen fieri potest, ut, scripturis in medium adductis, ea ipsa, quae explicita fide credenda sunt, in controversiam adducantur, aperte scripturis ea non convenit sufficientia, quam relativam nominavimus. Quod docet nos *Vincentius Lirinensis*, quum commonit. c. 2. objectionem scripturarum canonem perfectum sibique ad omnia, de

quibus tunc temporis disceptabatur, satis superque sufficientem esse, notatione solvit, quod, quum non uno eodemque sensu universi sacram scripturam accipiant, „multum necesse sit propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur".

Dem. part. III. Sponte haec pars ex demonstratis duabus prioribus fluit. Profecto, quum theologia sit scientia fidei, seu cognitio verbi Dei, ut est verbum Dei, demonstratione parta, scriptura, ut fons fidei est, ad eam refertur. Atqui scriptura non est fons fidei independenter a magisterio authentico. Ergo nec est fons scientiae theologicae independenter ab eodem hoc magisterio. Ergo non datur interpretatio theologica scripturae, quae ex auctoritate magisterii ecclesiastici non pendeat.

Num vero inde jure concluditur, inter limites Ecclesiae catholicae scientificam interpretationem scripturae existere non posse? Minime, ut facile patet examinanti, quid in interprete dicat pendere ex auctoritate magisterii ecclesiastici. Nihil nempe aliud hoc significat, quam infallibili certitudine ipsi constare, quinam universim non sit nec esse possit verus scripturae sensus, et quinam speciatim sit certorum textuum verus sensus. Num vero duplex haec certitudo impedire scientificam interpretationem potest; nonne contra eam summopere juvare censenda est? Melior proinde est catholicorum interpretum, quam protestantium conditio, quod attinet ad ipsam sacram exegesin. Protestantes enim in duplici sunt differentia. Alii, qui orthodoxi nominari solent, contra principium fundamentale protestantismi, libros symbolicos velut normam interpretationis sequuntur, alii autem isti principio fideles, rejecta omni extrinseca norma, solis hermeneuticae praescriptis in interpretanda scriptura reguntur. Jam vero illi ex norma pendent, quae solam humanae opinionis vim habet, hi vero in gravissimo continuo versantur periculo errandi circa ipsam fidem.

Thesis XLIX. Succedit alia relatio in eo sita, quod verbum Dei traditione conservatum latius pateat verbo Dei scripturis contento.

Dem. Si traditio est principium formale fidei objectivae, negari a nemine potest, ad ea, quae fieri possunt referendum esse, quod verbum Dei traditione conservatum latius pateat verbo Dei scripturis comprehenso. Qui enim concedit, verbum Dei traditione conservari, is necesse est concedat, verbum Dei sola etiam traditione conservari posse. Atqui si quod Dei verbum sola traditione conservatur, latius patet verbum Dei traditione conservatum, quam verbum Dei scripturis contentum. Probavimus vero, traditionem esse principium formale fidei objectivae.

Quare a priori demonstrari nequit, verbum Dei conservatum traditione verbo Dei scripturis consignato latius non patere, seu nullas veritates revelatas existere, quae non sint scriptae. Nec argumentum peti potest ex oeconomia, quam Deus in negotio revelationis generi humano communicandae in ipsoque conservandae constituit. Nam ab Adamo usque ad Moysen superna revelatio conservabatur in genere humano sola traditione, quin ulli existerent libri divinitus inspirati. A Moyse deinceps usque ad Christum libri quidem sub inspiratione Spiritus sancti non pauci confecti sunt, sed totam revelatam doctrinam perscriptam ita esse, ut nihil ad eam pertinens sola traditione, magisterio nimirum ordinario sacerdotii et extraordinario successionis prophetarum conservatum fuerit, gratuita assertio est. Illud vero exploratum est, revelatam doctrinam de inspiratione sacrorum librorum sola traditione conservatam et propagatam esse. Itaque nullum ne indicium quidem oeconomia illa complectitur, ex quo conjectura fieri posset, nullas esse revelatas veritates, quae scriptae non sint. Restat proinde, ut id a posteriori certum esse asseratur. Jam vero a posteriori nihil ejusmodi probari potest.

Profecto nemo dixerit, voluisse Christum, ut doctrinam, quam humano generi praedicandam Apostolis suis tradidit, hi totam literis mandarent. Nullum siquidem praesto est Christi dictum, quod tale ipsius praeceptum contineat. Nec putaverit ullus, qui aequus rerum aestimator esse velit, scriptoribus novi testamenti propositum fuisse, ut totam doctrinam, quam Apostoli, Christo mandante, hominibus annuntiabant, quamque succesoribus suis deinceps annuntiandam tradebant, scriptis suis comprehenderent. Nam, ut nullum adest testimonium, quo id significetur, ita tota librorum scriptorum ratio et indoles talis non est, qualis esse deberet, siquidem ad scribendum isto proposito librorum auctores moti fuissent. Nec licet perfugium habere ad Spiritum sanctum, qui auctoribus nihil tale cogitantibus rem sic disposuerit, ut tota nihilominus revelata doctrina ab eis perscriberetur. Non tantum enim sine ratione sufficiente, sed etiam contra eam hujusmodi dispositio Spiritus sancti confingitur [1]).

Quid igitur? Num persuasione christianae societatis sententiam, quam expendimus, nixam esse affirmare ausus

---

[1]) Habetur testimonium minime suspectum de hac re in opusc. *Lessing* (Nöthige Antwort auf eine sehr unnöthige Frage): „Der Beweis, dass die Apostel und Evangelisten ihre Schriften in der Absicht geschrieben, dass die christliche Religion ganz und vollständig daraus gezogen und erwiesen werden könne, ist unmöglich. Der Beweis, dass der hl. Geist es dennoch, selbst ohne die Absicht der Schriftsteller so geordnet und veranstaltet habe, kann noch weniger geführt werden. Die christliche Religion ist in den ersten vier Jahrhunderten aus den Schriften des neuen Testamentes nie erwiesen, sondern höchstens nur beiläufig erläutert und bestätigt worden. Ich habe dies aus eigener, mehrmaliger, sorgfältiger Lesung der Kirchenväter der ersten vier Jahrhunderte; und ich bin im Stande, mich mit dem gelehrtesten Patristiker in die schärfste Prüfung darüber einzulassen. Der Belesenste hatte in dieser Sache nicht mehr Quellen als ich. Der Belesenste kann also auch nicht mehr wissen als ich; und es ist gar nicht wahr, dass so tiefe und ausgebreitete Kenntnisse erfordert werden, um in allen diesen Stücken auf den Grund zu kommen, als sich manche wohl einbilden oder die Welt dessen gern bereden möchten".

quis fuerit? Atqui oppositam illa complexa semper est. Profecto *synodus septima*, ut totam tibi explicet vim fundamenti definitionis de sacris imaginibus, quod his verbis exhibet: „Regiae quasi continuati semitae, sequentesque divinitus excitatum sanctorum Patrum nostrorum magisterium et catholicae Ecclesiae traditionem; nam Spiritus sancti hanc esse novimus, qui nimirum in ipsa inhabitat, definimus . .“, hunc sessione octava ponit anathematisnum: „Si quis omnem ecclesiasticam traditionem sive scriptam sive non scriptam rejicit, anathema sit“. Et *synodus octava* sess. 10. can 1. rationem ejus, quod statuit: „Per aequam et regiam divinae justitiae viam inoffense incedere volentes, veluti quasdam lampades semper lucentes et illuminantes gressus nostros, qui secundum Deum sunt, sanctorum Patrum definitiones et sensus retinere debemus,“ reddit his verbis: „Tenere quippe traditiones, quas accepimus sive per sermonem sive per epistolam Sanctorum, qui antea fulserunt, Paulus admonet aperte, magnus Apostolus“. Quam eandem singulorum quoque veterum Patrum scriptorumque fuisse sententiam, plura, quae alibi adduximus, testimonia demonstrant. Pauca proferimus. *Ignatius Martyr* apud Euseb. hist. eccl. l. 3. c. 36. hortabatur omnes, ut Apostolorum traditionibus inhaererent, quas, inquit Eusebius, cautelae gratia etiam scriptas se asserit reliquisse“. *Tertullianus* de coron. mil. c. 3: „Etiam in traditionis obtentu exigenda est, inquis, auctoritas scripta. Ergo quaeramus, an et traditio non scripta non debeat recipi. Plane negabimus recipiendam, si nulla exempla praejudicent aliarum observationum, quas sine ullius scripturae instrumento solius traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocinio vindicamus“. Enumeratis deinde caeremoniis baptismi, signi crucis, sacrificii anniversarii pro defunctis, aliisque quibusdam, c. 5: „Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum, ait, si legem expostules scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix et fides observatrix“. *Eusebius* demonstr. evang. l. 1. c. 8: „Moyses in tabulis

inanimatis, Christus autem in mentibus vita praeditis perfecta novi testamenti documenta descripsit. Ejus vero discipuli ad magistri sui nutum auribus multorum doctrinam suam accommodantes, quaecumque quidem veluti ultra habitum progressi a perfecto ipsorum magistro praecepta fuerant, ea iis, qui capere poterant, tradiderunt; quaecumque vero iis convenire arbitrabantur, qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent curationisque indigentes, ea ipsi ad imbecillitatem multorum se dimittentes partim literis, partim sine literis quasi jure quodam non scripto servanda commendarunt". *Chrysostomus* hom. 4. in II. Thess.: „Patet, quod non omnia per epistolam tradiderint Apostoli, sed multa sine literis. Eadem vero fide digna sunt tam ista, quam illa". *Basilius* de Spir. S. c. 27: „Dogmata, quae in Ecclesia servantur ac praedicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione in mysterio ad nos delata recipimus. Quae utraque ad pietatem eandem vim habent, et nemo his contradicit, qui vel mediocrem saltem ecclesiasticorum jurium experientiam habet". *Epiphanius* haer. 61. n. 6: „Divina omnia verba non ad allegorias referenda, sed, ut se habent, accipienda sunt. Consideratione vero ac sensu opus habent, ut argumenti cujusque vis ac potestas intelligatur. Sed traditione quoque opus est. Neque enim ex scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, traditione alia sanctissimi Apostoli reliquerunt". *Augustinus* denique de efficacia baptismi in parvulis agens de bapt. l. 4. c. 24. primo quidem *conjicere nos posse* scribit, „quid valeat in parvulis baptismi sacramentum ex circumcisione carnis", tum vero tamquam argumentum, quo res conficiatur, hoc affert: „Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur". Ejusdem operis l. 2. c. 7. disputans de valore baptismi ab haereticis collati haec habet: „Quam consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem, sicut multa, quae non inveniuntur in literis eorum neque in conciliis posterorum,

et tamen, quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et commendata creduntur". Ac l. 5. c. 25: „Apostoli nihil quidem exinde praeceperunt (in scripturis), sed consuetudo illa, quae opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est, sicut sunt multa, quae universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab Apostolis praecepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur". Item de unit. Eccl. c. 22: „Hic forte dicis, lege mihi, quemadmodum Christus suscipi jusserit eos, qui ab haereticis transire ad Ecclesiam volunt. Hoc aperte atque evidenter neque ego lego, nec tu . . . . Quum hoc nusquam legatur, credendum est testimonio Ecclesiae, quam veracem esse Christus testatus est".

Si itaque, his omnibus nihil obstantibus, affirmare nihilominus velis, nullam dari veritatem revelatam, quae scripta non sit, unum hoc superest, ut ostendas, nihil prorsus a magisterio authentico doceri, quod non sit in scripturis. Tantum vero abest, ut ostendi hoc possit, ut contrarium demonstretur. Certe sola traditione tenemus, omnes et singulos sacrae scripturae libros esse speciali titulo divinos; baptismum infantium esse validum et necessarium; baptismum ab haereticis administratum, imo ab infidelibus collatum valere et sine sacrilegio iterari non posse; jusjurandum sub certis adjunctis esse licitum, ac alia non pauca. Habemus caeterum ipsos protestantes nobiscum sentientes. A saeculo enim decimo sexto Ecclesiae vitio vertunt, quod plura amplectatur tamquam divinitus revelata, quae in divinis literis non contineantur.

Numquid vero protestantes ipsi nihil credunt, nisi quod scriptum est? Atqui plura credunt, quae scripta non sunt. Credunt, ut alia omittam, omnes illos et solos libros divinitus inspiratos esse, quos in suo canone recensent: credunt hos libros esse supremam et unicam normam credendi; credunt singulos quosque esse eorum authenticos interpretes. Jam vero horum trium ne unum quidem est, quod in divinis literis contineatur. Credunt praeterea protestantes,

fide illa, quam fiducialem nominant, hominem justificari et salvari. Atqui nullo plane scripturae testimonio haec doctrina proponitur.

Thesis L. Cum qua relatione nexa est haec alia, quod nempe traditio instar totius sit, scriptura autem instar partis.

Dem. Verbum Dei traditione conservatum latius patet, quam verbum Dei scriptum. Quum igitur verbum Dei traditione conservatum dicatur traditio, haec instar totius, scriptura autem instar partis est.

Paulo enucleatius idem demonstrari hoc modo potest: Quum doctrina revelata partim sit scripta, partim non scripta, considerari ea certe potest ut totum, cujus pars quaedam sit doctrina revelata scripta. Jamvero universa doctrina revelata magisterio authentico a Christo instituto custodienda et propaganda tradita est. Ergo magisterio authentico a Christo instituto tam scripta quam non scripta doctrina revelata custodienda et propaganda commissa est. Atqui doctrina revelata a magisterio authentico custodita et propagata, quatenus talis est, dicitur et est propriissime traditio. Ergo doctrina revelata, non solum quae scripta non est, sed etiam quae scripta est, ut a magisterio authentico custoditur et propagatur, est traditio. Ita vero si res habet, aperte traditio est instar totius, scriptura autem instar partis hujus totius, quod est traditio.

Sed haec luculentiore explanatione indigent. Quid igitur sibi vult, doctrinam revelatam scriptam a magisterio authentico custodiri et propagari? Doctrina revelata scripta est verbum sub ipsa ratione verbi scripti divinum, determinatum certumque prodens sensum ab ipso Spiritu sancto intentum. Quamobrem a magisterio authentico custodiri et propagari doctrinam revelatam scriptam duo significat, scilicet primo ab illo custodiri et propagari ver-

bum sub formali ratione verbi scripti divinum, ut tale; secundo ab illo custodiri et propagari hujus verbi sensum, a Spiritu sancto inspirante intentum; seu, quod eodem redit, illud ad doctrinam revelatam scriptam relatum habere tum rationem *testis infallibilis inspirationis*, qua verbum sub ipsa scripti verbi ratione divinum est, tum rationem *interpretis authentici et infallibilis* ejusdem verbi. Cum qua duplici ratione non conjungitur tamen tertia, quam magisterium authenticum habet, si refertur ad doctrinam revelatam non scriptam, scilicet ratio *medii continentis*. Nam ratio medii continentis scripturae ex propria formalique sua ratione independenter a magisterio authentico convenit, quamvis cognitio istius rationis et explicatio contenti ab eodem magisterio pendeat, utpote quod, Christo instituente, et infallibilis testis inspirationis et authenticus ac infallibilis interpres scripturae est.

Unde perspicitur, sensum nostrae theseos nequaquam hunc esse, traditionem, nulla scripturae ducta ratione, totam revelatam doctrinam continere, et hujus doctrinae aliquam partem, alio dumtaxat continendi modo, scripturam continere; imo, etiamsi negaretur, traditionem, ut a scriptura distincta est, continere doctrinam revelatam scriptam, nostra thesis sibi constaret. Sed quid censendum est de hac ipsa quaestione, scilicet: num traditio etiam eorum omnium est medium continens, quae in scripturis comprehenduntur? Ad eam nec simpliciter affirmando, nec simpliciter negando responderi potest. Non simpliciter affirmando; quis enim putaverit, traditione conservari ea omnia, quae scripturae complectuntur, non principali intentione et propter se, sed tantum propter aliud inspirata et revelata? Neque etiam simpliciter negando responderi potest. Nam eo ipso quod magisterium authenticum a Christo ad fidem propagandam et conservandam institutum est, in se et independenter a scripturis illud possidet, quod omnibus communiter fidelibus explicita fide credendum est, seu quo, ut Tertulliani verbis loquamur, fiunt fideles; non immerito siquidem doctrina velut forma

quaedam intrinseca magisterii, qua talis, concipitur. Quod caeterum veteres Patres et scriptores tum aliis modis, tum nominatim eo significant, quod normam credendi ab ecclesiastico magisterio petendam normam doceant enarrandi scripturas. Ac mirum profecto esset, si traditio tantum prae veritatibus revelatis non scriptis rationem medii continentis haberet, non autem prae iis etiam, quas scriptura continet, idque vel magis, quod aliquando unicum medium erat christianam revelationem continens.

Thesis LI. Consideranda denique relatio est, qua traditio in ordine tam chronologico, quam logico prior est scriptura.

Dem. part. I. Revelatio in oeconomia vetere usque ad Moysen in genere humano extitit sine omni scriptura, ideoque sola traditione conservabatur. Item in oeconomia nova veritas, „quae per Jesum Christum facta est", inserta est in genere humano, priusquam vel unus novi testamenti liber conscriptus esset. Ergo prior in ordine chronologico est traditio, quam scriptura.

Dem. part. II. Duobus modis magisterium authenticum ad scripturam refertur, nimirum ut testis authenticus et infallibilis inspirationis, qua ea sensu maxime proprio liber divinus est, et ut interpres authenticus et infallibilis sensus verbi inspirati. Jam vero, ut cognitio, quae per scripturas parienda est, reipsa obtineatur, necessaria est cognitio inspirationis earum, ac sensus, quem ipsarum verba fundunt. Quum igitur haec per magisterium authenticum seu per traditionem obtineatur, haec logice prior est scriptura.

Cui argumento nihil obstat, quod magisterii authentici existentia et ratio maxime ex scripturis probetur, ideoque potius hae traditione logice priores existimandae sint. Nam existentia et ratio magisterii authentici ex

scripturis non probatur, ut eae formaliter inspiratae sunt, sed ut constant ex libris, qui historice et critice authentici ac fide digni sunt. Hinc prior quidem est cognitio scripturae sub ratione libri genuini et authentici in iis partibus, e quibus existentiae et rationis magisterii authentici demonstratio petitur, quam cognitio traditionis; sed cognitio scripturae sub ratione libri inspirati, imo etiam genuini et authentici in omnibus suis partibus, logice posterior est traditione. Item intelligentia *quorundam textuum* scripturae, eorum nempe, quibus magisterii authentici existentia et ratio demonstratur, est prior traditione, sed *scripturae* intelligentia est posterior traditione; ut puta ille alicujus legis articulus, quo authenticus ejus interpres constituitur, logice prius cognoscitur, quam interpres, et authentica intelligentia ipsius legis logice posterior est cognitione interpretis.

INDEX.

Pagina

Prolegomena 3

CAPUT I.

De principio formali fidei objectivae.

Th. I. Christus Jesus, qui supernae religionis testis de coelo descendit et ut testis, quae in sinu Patris vidit, enarravit, voluit, ut per testes, quos sua instruxit auctoritate, religio sua et doctrina humano generi insereretur . . 8

Th. II. Cui voluntati divini sui Magistri obsecundantes Apostoli munus partesque testium ac doctorum authenticorum perfectissime expleverunt 9

Th. III. Hanc autem oeconomiam propagandae conservandaeque fidei ac religionis christianae per testes doctoresque authenticos non temporariam et transeuntem, sed perpetuam judicandam esse, sicut cum huc usque dictis consertum est, ita aperte novi testamenti instrumentis demonstratur 9

Th. IV. Quod idem luculenter demonstrat universalis christianae societatis persuasio . . . 12

Th. V. Scripturis ac universali christianae societatis persuasione constat, testes, quibus ministerium fidei propagandae et conservandae commissum est, esse plane determinatos; eos scilicet solos

Pagina

in authenticorum testium numerum referri, qui in christianis monumentis, quum aliis, tum potissimum nominibus Apostolorum, Episcoporum, Praepositorum, Pastorum Doctorumque ornantur 40

Th. VI. Hi porro testes simul spectati ea excellunt praerogativa, ut in fide probanda et propaganda citra errorem errorisque periculum contestentur 41

Th. VII. Doctrina protestantium de principio formali fidei objectivae, spectatis argumentis, quibus fulcire eam conantur, quovis fundamento caret 44

Th. VIII. Ut doctrina protestantium in se considerata falsa est, ita natura sua perennis fons est gravissimorum cujusvis generis errorum . 55

CAPUT II.

De traditione ac de praesidiis ad eam cognoscendam idoneis.

Th. IX. Quae de principio formali fidei objectivae disputando constituimus, demonstrant, traditioni perpetuam inesse rationem loci theologici 60

Th. X. Inter praesidia ad traditionem infallibiliter cognoscendam eminet singulis aetatibus editum apertum suffragium et judicium testium authenticorum 63

Th. XI. Numeranda deinde ex Veterum persuasione concors praedicatio et sententia ecclesiarum, proprie ac presse apostolicarum, nec non judicium suffragiumque cathedrae Petri Romanaeque ecclesiae 65

Th. XII. Certissimum traditionis argumentum est conspiratio monumentorum christianorum in exhibenda aliqua veritate, tamquam ad fidei depositum pertinente 69

Th. XIII. Ad ea certo cognoscenda, quae in summa monumentorum christianorum comprehensa ad divinam revelationem pertinent, conducit regula Vincentii Lirinensis, tenendum esse, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est 73

Th. XIV. Ut vero legitimus hujus regulae usus sit, tenendum est, eam sensu affirmante acceptam

Pagina

esse verissimam, sed dempta antiquitate, sensu excludente urgeri non posse 74

Th. XV. Quod de conspiratione ac summa christianorum monumentorum affirmavimus, id pari jure de concordi Patrum sententia affirmandum est . 83

Th. XVI. Par pondus tribuendum explorato totius occidentalis Ecclesiae suffragio; tum standum quoque caeteris minime reclamantibus conspirationi Patrum numero plurium, doctrinae ac famae celebritate insignium, qui diversis aetatibus diversisque locis inclaruerint; imo doctrinae Patrum, numero licet paucorum, si iidem, caeteris denuo haud reclamantibus, certis in adjunctis tuto ac fidenter ad traditionem Majorum provocaverint 91

Th. XVII. Certum quoque traditionis testimonium continetur unanimi et constante theologorum scholae sententia de aliqua doctrina tamquam ad depositum fidei pertinente 99

Th. XVIII. Denique consensus fidelium et unanimis Christianorum suffragatio in iis, quae ad fidem christianam referuntur, annumerari criteriis debet, quibus divina traditio innotescit . 104

CAPUT III.

De Scriptura.

Sectio I.

De inspiratione.

Th. XIX. Illa collectio librorum, quae a Christianis generatim scripturae nomine designatur, dici et aestimari divina debet 109

Th. XX. Quamvis non uno nomine scriptura censeri possit divina, attamen eo potissimum habita dictaque fuit divina, quod sit divinitus inspirata 110

Th. XXI. Ex praescripto catholico ratio inspirationis exigit, ut Deus credatur auctor librorum, qui inspirati dicuntur 112

Th. XXII. Nequit autem Deus existimari auctor librorum scripturae, nisi suppeditato charismate illu-

Pagina

strationis et motionis efficiat, ut, quas veritates ipse hominibus per scripturam communicandas mente concepit, easdem hominis inspirati mens concipiat scribendas, et voluntas ejusdem ad eas omnes et solas scribendas pertrahatur 115

Th. XXIII. Longe a veritate aberrant, qui inspirationem et infallibilitatem perinde habentes, ad rationem libri inspirati satis esse affirmant, quod Deus ab homine, dum scriberet, sua assistentia errorem averterit 122

Th. XXIV. Improbandi penitus sunt, quibus ad decus libri inspirati satis est, eum, quamvis humanitus primum conscriptum, deinde ceu proprium a Spiritu sancto adscitum fuisse 123

Th XXV. In maximo errore denique versantur, qui vel eodem censu habent charisma inspirationis et charisma apostolatus, vel certe illud cum hoc necessario vinctum arbitrantur . . . 127

Sectio II.

De modo cognoscendi inspirationem.

Th. XXVI. Argumenta illa objectiva, quae interna protestantes appellant, inspirationi scripturae demonstrandae plane imparia sunt . : . 131

Th. XXVII. Nec argumenta psychologica, quibus protestantes scripturae inspirationem demonstrare conantur, ea sunt, quae certam fidem indubiamque persuasionem creare possint . . . 134

Th. XXVIII. Multo adhuc minus argumenta, quae protestantes historica nominant quaeque ex miraculis et vaticiniis in scriptura contentis depromunt, inspirationem scripturae extra controversiam collocant 135

Th. XXIX. Cognitio talis inspirationis, qualis requiritur, ut scriptura tamquam verbum Dei inspiratum admittatur et credatur, solo divino testimonio obtineri potest 136

Th. XXX. Testimonium divinum de divina origine et inspiratione librorum veteris testamenti, qui unanimi catholicorum et protestantium con-

Pagina

sensione recipiuntur, iis praeclare ostenditur, quae libris novi testamenti comprehenduntur 138

Th. XXXI. Ut autem librorum veteris testamenti inspiratio iis nominatim demonstratur, quae II. Tim. 3. 15, 16 et II. Pet. 1. 20, 21. leguntur, ita eorundem et aliquot etiam novi testamenti librorum inspirationem probant, quae occurrunt II. Pet. 3. 15, 16. 141

Th. XXXII. Inspiratio et divina origo omnium librorum, quos uno ore protestantes cum catholicis ut scripturam recipiunt, sola traditione constare potest 144

Th. XXXIII. Hinc protestantes non omnium librorum, quos ut scripturam recipiunt, inspirationem et divinam originem tueri possunt, quin renuntient suae de principio formali fidei objectivae doctrinae 145

Sectio III.

Demonstratio canonis.

Th. XXXIV. Consideratis principiis catholicis statuendum est, solemni definitione concilii tridentini probari, omnes libros in canone ab eodem conciiio edito enumeratos eorum numero comprehendi, quos Apostoli tamquam divinitus inspiratos tradiderunt 147

Th. XXXV. Plane improbanda est illorum opinio, qui cum Jahn et Touttée arbitrantur, ne tridentini quidem concilii definitione dogmaticum librorum protocanonicorum et deuterocanonicorum discrimen sublatum esse 149

Th. XXXVI. Repellenda est sententia Richardi Simonis, in determinando canone veteris testamenti non alias esse ecclesiae christianae partes, quam testis ejus doctrinae, cui alexandrina synagoga aetate saltem apostolica suffragabatur 152

Th. XXXVII. Statutus a tridentinis patribus librorum veteris testamenti canon praeter jus eo nomine impugnatur a protestantibus, quod ei receptus apud synagogam scripturarum catalogus opponatur 155

Pagina

Th. XXXVIII. Eodem judicio de protestantibus statuendum est, qui canonem tridentinum oppugnant, quod post Malachiam apud Judaeos charisma inspirationis penitus desierit 158

Th. XXXIX. Canon tridentinus ad scientiae normam exactus inprimis quoad libros veteris testamenti habendus est velut ectypus, qui antiquam de libris inspiratis traditionem referat . . 159

Th. XL. Immerito autem protestantes ad impugnandam hanc veritatem provocant sive ad controversiam, quae intra ipsos fines Ecclesiae extiterit, de compluribus libris veteris testamenti, sive ad canones saeculorum quarti et quinti, qui complures non comprehenderint, sive ad testimonia quaedam scriptorum sequioris aetatis 170

Th. XLI. Quod de canone tridentino ratione librorum veteris testamenti diximus, idipsum de eodem ratione librorum novi testamenti affirmamus 181

Th. XLII. Quae autem ex antiquitatis monumentis desumpta aliquam contra veritatem demonstratam difficultatem creare videntur, ea expeditam proptamque habent explicationem . 186

Sectio IV.

De authentia editionis vulgatae.

Th. XLIII. Eodem jure, quo Ecclesia canonem scripturarum definit, declarat etiam authentiam editionis aut versionis earumdem . . . 192

Th. XLIV. Quo jure usa Ecclesia in sessione quarta concilii tridentini authentiam editionis veteris vulgatae latinae declaravit 197

Th. XLV. Qua tridentini concilii declaratione certissime docemur, veterem vulgatam editionem possidere authentiae perfectionem in eo sitam, quod omnes ejus textus ad fidem et mores per se pertinentes originale Dei verbum secundum substantiam dogmatis sincere exhibeant . 201

Th. XLVI. Eadem declaratione autem minime docemur, veterem vulgatam editionem in omnibus plane textibus originali scripturae in supremo gradu conformem esse 210

CAPUT IV.

De relatione inter Traditionem et Scripturam.

		Pagina
Th. XLVII.	Scriptura ad traditionem refertur ut ad authenticum et infallibilem sui interpretem	216
Th. XLVIII.	Ex qua scripturae ad traditionem relatione evidens est, scripturam non esse fontem fidei independenter a magisterio authentico, ideoque, quidquid sit de ejus plenitudine et sufficientia objectiva, ei non convenire sufficientiam relativam ad credentes; eandem praeterea ne fontem quidem scientiae theologicae esse independenter ab ecclesiastico magisterio .	221
Th. XLIX.	Succedit alia relatio in eo sita, quod verbum Dei traditione conservatum latius pateat verbo Dei scripturis contento	226
Th. L.	Cum qua relatione nexa est haec alia, quod nempe traditio instar totius sit, scriptura autem instar partis	231
Th. LI.	Consideranda denique relatio est, qua traditio in ordine tam chronologico, quam logico prior est scriptura	233

216 1963
ST 42
Stuntrup, F.A.
AUTHOR
De Locis Theologicis
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
ER. DONOVAN

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

1963